


INSIGNIA ACADEMIAE HARVARDIANAE CANTAB: NOV: ANGLIAE
VE
RI
TAS
The Gift of
Mary Bryant Brandegee
in Memory of
William Fletcher Weld
HARVARD COLLEGE LIBRARY

R. Geier. Halis, 1839.

PHYLARCHI

HISTORIARUM FRAGMENTA.

COLLEGIT

JOHANNES FRIEDERICUS LUCHT.

LIPSIAE

SUMPTIBUS GUILIELMI LAUFFERI.

MDCCCXXXVI.

LECTURIS S.

Quam hic propono Phylarchi historici reliquiarum collectionem particula est *Quaestionum Polybianarum*, quas olim ita instituere meditabar, ut simul omnium quibus Polybius auctoribus usus est aut quorum meminit fragmenta adjungerem; inter quos maxime insignes sunt Callisthenes, Aratus, Phylarchus, Fabius, cum Timaeus, Philistus, Ephorus, Theopompus editores suos invenerint. Quominus autem hoc consilium effectum darem impediverunt cum alii viri docti, qui dum ipse morabar partem operis occupaverunt, tum susceptum munus quod nullum fere otium concedit. Tantum longo tempore interjecto, cum omnia supprimere et penes me retinere

nollem, e schedis denuo inspectis hocce opusculum composui et emisi, sperans fore ut gratia excipiatur quod dedi et dare potui in urbe, ut Heinrichii *) verbis utar, olim Romani termino imperii, nunc armis virisque et industria civium suorum ac probitate magis, quam *libris* et litteris nobili. Difficile enim est librum doctrinae plenum evigilare ubi praesidia necessaria deficiunt, et quamquam saepius Kiliam evolaverim ut bibliotheca publica uterer, nec mihi defuerit humanissima comitas praefecti bibliothecae, magnopere tamen vereor, ne alia omiserim, alia non plene perquisiverim, alia minus recte posuerim. De ratione qua in tractandis fragmentis versatus sim haec moneo. Phylarchea ex optimis scriptorum apud quos extant editionibus exhibui addita potiore lectionis varietate **), et qua opus esse videbatur rerum

---

*) In scriptione academica, Kiliae 1812, cui insunt: Claudii Salmasii Notae ineditae ad Jos. Scaligeri Animadversiones in Chronologica Eusebii, e monumento Marq. Gudii Rendsburgico, nunc primum in lucem prolatae.

**) Cum ex G. Dindorfii editione Athenaei notas qua libros et scriptos et editos distinxit et librum meum trans-

explicatione partim ex aliorum commentariis partim e meis copiolis dedi. Historicis fragmentis adjunxi pauca quae ad scripta Phylarchi mythologica referri possint. Praecipue gaudebo si memoriam Phylarchi infamia quadam notatam purgasse judices. — Eat jam libellus et ad quam plurimorum cognitionem pervenire studeat, quod minus contigisse videtur Polybii Excerptis Vaticanis a me ante quatuor annos et quod excurrit editis. Primus, quod sciam, ea in judicium vocavit et curatius tractavit vir de litteris egregie meritus J. C. Orellius (in Indice lection. academ. Turicens. 1834). Qui composita mea recognitione cum editione J. Geelii, Batavi et quem „optimum suum amicum" vocat, quum non satis aeque mecum egerit, non possum quin vindiciarum actione in eum utar. Quodsi enim dicit, Geelium *primum* emendasse Polybiana illa fragmenta et inde

---

tulerim, hic explicationem notarum appono. A est codex Marcianus Venetus, B Laurentinus, P Palatinus, D et Q Parisini, C Parisinus epitomes; V est editio Veneta Aldina, L Lugdunensis Casauboni.

Geelio gloriolam quaerit, hoc falsum est; utraque editio eodem anno prodiit, et mea praefatio subscriptum habet: Kalend. Maji, Geelii: a. d. 23. Maji. Tum vero, quod gravius est, ut „nonnulla a me feliciter correcta," quae satis multa esse scio, augeam, necesse est ut e numero emendationum ab Orellio propositarum (attigit, ni fallor, triginta tres locos Polybii; in quinque locis tuetur lectionem editionis Romanae, ad viginti octo conjecturas plerumque probabiles protulit) tres eximam et mihi meo jure vindicem. In ipso initio Excerptorum Vaticanorum est in editione Romana: *οὐκ ἀγνοῶ μὲν οὖν, διότι τινὲς διαπορήσουσι, διὰ τί προσαφέμενοι.* Satis habebam scripsisse *προαφέμενοι*; jam Orellius recte: *διαπορήσουσι, πῶς ἀφέμενοι*, sed, si placet, evolve Addenda et corrigenda, quae editioni meae subjuncta sunt, ubi invenies: *lege διαπορ. πῶς ἀφέμενοι; impedimento mihi fuerunt verba διὰ τί Polybio a Majo importune obtrusa, quominus statim viderem in προσαφεμ. latere verum πῶς ἀφεμ.* Tum p. 14, 20 edit. meae Majus: *καὶ τῶν ἐν τοῖς τόποις ἰδίων αὐτῶν*, pro quo posui *ἰδιοτήτων*.

Orellius rectius *ἰδιωμάτων*; in Addendis meis invenies: *lenior medela erat ἰδιωμάτων.* Denique p. 23, 6 editio Romana: *ἀλλ' ὅμως οὗτοι (ἰατροὶ) μετὰ φαντασίας ἐπιπορευόμενοι τὰς πόλεις ἐπειδὰν ἀθροίσωσι τοὺς λόγους ἐπ' ὀνόματος.* Equidem cum *τοὺς λόγους* sanum esse putarem scribebam *τοὺς λόγους ἐπὶ βήματος*, *si pleno ore verba in suggesto fundunt*, quod Orellii causa moneo, qui sibi persuasit *ἐπὶ βήματος* nihil esse nisi *in suggestum.* Jam Orellius: *τοὺς ὄχλους ἐπ' ὀνόματος*; verum si non inveni, certe significavi in Addendis: *τοὺς λαοὺς ἐπ' ὀνόματος.* Hactenus de Orellio quem haec in bonam partem accepturum esse spero. — Secundum qui Polybii Excerpta Vaticana tractaverit novi Schwenkium, virum ingeniosissimum et doctissimum, qui sex locos optime emendavit *), in tribus me dissentientem habet. P. 23, 28 est: *παραπλήσιον τοῖς φαρμακοπώλαις δοξοκομποῦντες καὶ πρὸς χάριν βλέποντες, εἶτα πρὸς τοὺς*

*) In ephemeride quae inscripta est: Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft. 1834. N. 122. p. 979 sq.

καιροὺς ἕνεκα τοῦ πορίζειν τὸν βίον διὰ τούτων, ubi Schwenckius vult: παραπλήσιοι τοῖς φαρμακ. οἳ δοξοκομποῦντες κ. πρ. χάριν βλεπ. εἶτα προσφέρονται πρὸς τοὺς καιροὺς κ. τ. λ. Displicent illa εἶτα προσφέρονται πρὸς τοὺς καιρούς, et vide num scribendum sit: εἰςφροῦσι εἰς τοὺς οἴκους. Εἰςφρεῖν εἰς τὴν πόλιν, *in urbem penetrare*, legitur apud Polybium XXII, 10, 7. P. 70, 22. nihil proficimus inserto ἃς ante κατεσκεύαζε in verbis: κίονας κατεσκεύαζε Περσεὺς καὶ ταύτας καταλιπὼν ἀτελεῖς, Λεύκιος Αἰμίλιος ἐτελείωσε καὶ τὰς αὐτοῦ εἰκόνας ἐπέστησεν. Legas: κίονας γὰρ κατεσκεύαζε Περσεύς, καὶ ταύτας καταλαβὼν ἀτελεῖς Λ. Αἰμίλιος ἐτελείωσε κ. τ. λ. Denique p. 64, 10 verba τοῦ γὰρ εἰς τὸ μέσον ἄγειν ταῦτα κύριος ὑπῆρχεν αὐτός, πόσου δὲ τοῦτ᾽ ἄξιον κ. τ. λ. sanissima sunt nec desiderant ὅπου . . . πόσου δή. Emendationem Schwenckii ἀναλθὲς p. 28, 7. pro ἂν εὔηθες, quod non meum, sed Maji est, probat Polybius ipse p. 34, 7; cf. quae ibi notavi; et eodem modo quo vir doctissimus p. 13, 9. ἐβασίλευσε et μετήλλαξε restituit pro βασιλεῦσαι et μεταλλάξαι, scribere

poterat p. 46, 2. κηδεύσας ἔθαψε pro κελεύσας θάψαι, cum sequatur προσαμφιέσας ἀπέστειλε, nisi forte probavit ἐκέλευσε θάψαι, quod habet Geelius; cf. Diodorum Sic. quem ibi laudavi. Ceterum spero et opto Schwenckius mox novis emendationibus propositis nomen datum solvat, nec ipse laborem recognitionis meae recognoscendae defugiam. Imo statim cum aliquid chartae supersit nonnullas conjecturas adscribam. P. 17, 10. malim ὡς πρὸς et versu 13 lege διὸ καὶ παραινεῖ τούτοις; ed. Rom. παρεῖναι. — P. 18, 5. in τις latere puto Τίμαιος et pro ὅτι scribendum esse ὡς. — P. 27, 13. melius esset τῆς ἐμπειρίας quam τῆς ἱστορίας. — P. 35, 29. editio Rom. habet: αὐτὸς γοῦν τηλικαύτην ὑπομεμένηκε (Geelius jam et post eum Schwenckius recte ὑπομεμενηκέναι) δαπάνην καὶ κακοπάθειαν .... ὥστε μηδὲν αὐτὸς ἐλπίσαι μήτ' ἂν ἑτέροις ἐξηγούμενος πεπεισθῆναι περὶ τούτων, Geelius: ὥστε μήτ' ἂν αὐτὸς ἐλπίσαι, μήτ' ἂν ἑτέροις ἐξηγουμένοις πεισθῆναι περὶ τούτων; equidem malim: ὥστε μήτ' ἂν αὐτὸς ἐλπίσαι, μήτ' ἂν ἑτέροις ἐξηγούμενος πιστευθῆναι περὶ τούτων

— P. 36, 15. res et sententiarum nexus legi postulat: ἣν, εἰς τέλος ἄπειρος ὤν, εἰκότως ὑπέλαβε τὸ πάντων ἄλάχιστον καὶ ῥᾷστον εἶναι τοῖς πραγματευομένοις τὴν ἱστορίαν, μεῖζον δὲ τὸ συνάγειν. Ed. Rom. ὑπελάβετο et λέγω δέ. — P. 54, 16. diversa qua Aristaenus et Philopoemen utebantur administrandae reipublicae ratio haud satis recte significari videtur verbis: συνέβαινε γίνεσθαι τοῦ μὲν καλήν, τοῦ δ' εὐσχήμονα τὴν πολιτείαν, ἀμφοτέρας γε μὴν ἀσφαλεῖς; legas: τοῦ μὲν μαλθακήν. — P. 55, 7. fortasse servari potest ἀγὼν μικρὸς, certe Gelii πικρὸς minus aptum est, cum sequatur ποτὲ δὲ καὶ χλευάζειν ἐπιχειροῦσιν, versu 27 autem τραῦμα καίριον, quod ex communi scriptorum usu a quo Polybius nusquam recedit vulnus *mortiferum* est, ferri nequit. Requiri credam verbum quod *leve* vulnus significet, quale esset τραυματισκάριον. Cf. ῥῆμα-τιον-τίσκιον; χιτωνισκάριον, παιδισκάριον. — P. 62, 23. Majus sensum qui inesse debeat verbis περὶ τὸ πρόδομα divinasse videtur, quasi legeretur τὰ προδεδομένα, cf. Polyb. VIII, 18, 7. Erat cum loco difficillimo medelam

quaererem e glossa Hesychii: πρόκωνα· εὔκρατῆ, εὔφημα, πρόχειρα, ἕτοιμα, ἀνεμπόδιστα. — P. 66, 4. lege: διαθρυλλεῖν καὶ προστιθέναι παρὰ τούτων ἄλλα, ἀλλ' οὐ παντάπασιν εὐδοκεῖν. — P. 69, 10. verba εἴς τι τῶν εἰωθότων συμβαίνειν sana sunt et pendent a praecedente ἐνέπεσε, ut carere possimus Orellii conjectura ἕν τι τ. εἰ. συνέβαινε, qui idem p. 82, 4. pro τὸ γινόμενόν quod est subjectum verbi ἠνάγκαζε, male scribi jussit τὸ λεγόμενον, nec cum eodem damnem formam συντροφὴν p. 59, 5, quam restituendam esse censeo p. 58, 5, ut sit αἵ κακαὶ συντροφαί; plurima substantiva ejus generis et in ια et in ή terminantur. — P. 73, 2. importunum καθάπερ mutem in καὶ απορίας. — P. 76, 18. aut servandum est quod posui: ἐναγωνίσματι κεχρ μεθα, aut conjectura refingenda sunt verba, veluti εἰς ἀγώνισμά τι ἐτρεπόμεθα. Cassum est ἐν ἀγωνίσματι κεχρήμεθα, quod Orellius tuetur, qui frustra provocat ad p. 91, 2. ubi sit καθάπερ ἐν ποιήματι χρησάμενοι, pro quo scribendum est καθαπερεί. — Haec hactenus. Ne aliena pro meis venditasse videar, addo emendationem

loci Plutarchei ad fr. XLIV. propositam a Mansone T. III. p. 313. atque loci Dionysii Halic. a Goellero occupatam esse. Duo fragmenta aliunde mecum communicata sunt.

Rendsburgi,
pridie Kalend. Mart. MDCCCXXXVI.

Dr. *Lucht.*

DE

PHYLARCHI VITA ET SCRIPTIS.

Inde ab Henrici Stephani aetate plurimi viri docti cum exstiterint, qui damnum, quod deperditis tot historicorum operibus fecimus, levare et quodammodo resarcire studerent undique collectis et conquisitis librorum fragmentis, ut inde novum quasi corpus conficerent: mihi laudabile hoc institutum valde probanti operae pretium visum est, Phylarchi fere intermortuam memoriam renovare et reliquias historiarum ejus, quotquot invenire contigit, in unum coactas dare. Simul enim cum integro historiarum opere non solum memoria ipsius abiit, ut vix quidquam de ejus vita constet, sed ignorabatur etiam praestantia historiarum Phylarchi et quantum ex iis desumptum sit ab historicis, qui nobis servati sunt. Levia et parvi pretii sunt quae Sevinus in Scriptis Academiae Parisinae Inscript. et bonar. Litterar. Tom. VIII. p. 118—126. de vita et operibus Phylarchi commentatus

est, et Ulrici in libro egregio, quem composuit *de historiarum scriptione, qualis apud Graecos Romanosque fuerit, Berolini* 1833, ne nominis quidem ejus meminit. Niebuhrius, quod erat ejus acumen et veri reperiendi sollertia, primus aequum et honorificum de Phylarcho tulit judicium, (in dissertatione *de fructu, qui historiis ex interpretatione Armenica Chronici Eusebiani ortus sit* p. 269, qua dissertatione nihil fructuosius est) atque hujus scriptionis finis est probare, Phylarchum, scriptorem fide dignum atque ingenua et vere Graeca indole praeditum, historiis suis tempus rerum gravitate et vicissitudine insigne complexum esse, genere dicendi gravi, fervido, sensus et dolores habente usum esse, ejus auctoritatem multos insequentium historicorum secutos esse, ita ut sit, quod eum egregium rerum scriptorem habeamus et libros ejus interiisse magnopere doleamus. Jam vero ut disputatio nostra via ac ratione procedat, primo loco de nomine, vita et scriptis aliis Phylarchi, tum copiosius de historiis ejus agemus.

Quem enim nos *Phylarchum* vocamus ejus nomen interdum *Philarchus* scriptum legimus. Ut mittamus scribarum errores *Ὕλαρχος* in uno codice Tzetzae Chil. IV, 134. et *Ἄνδραρχος* in uno Athenaei XII, 20, optimorum et plurimorum codicum Polybii, Plutarchi, Athenaei auctoritas ita tuetur formam *Φύλαρχος*, ut altera *Φίλαρχος* ex errore et

pronuntiatione vocalis *υ* quam vocant Reuchliniana orta esse dici possit. Quare Schweighaeuserus ad Polybium II, 56: *Φύλαρχος recte edidit Casaubonus et eodem modo cum h. l. tum deinde constanter et Ursini liber et nostri veteres codices omnes excepto Bavarico, qui in textu quidem et h. l. et deinde plerumque pariter Φύλαρχος habet, sed superscripta super υ vocali jota; unde Φίλαρχος constanter editio princeps et codices Parisini* (recentissimi sunt) B. C., et in eadem sententia sunt Muellerus ad Tzetzam l. l., Heyne in Observat. ad Apollodor. p. 313, cf. Hermann in Ind. ad Photii Lexicon. Apud Athenaeum codex Laurentianus IV, 34, VI, 55. 58., cod. Parisinus VIII, 6, editiones Veneta et Lugdunensis VI, 66. exhibent quidem *Φίλαρχος*, sed reliqui codices his et reliquis locis *Φύλαρχος*. Plutarchi denique libri ter quaterve tantum *Φίλαρχος* habent, nec singulis locis Suidae, Zenobii, aliorum quidquam tribuo. Non igitur audiendus est Wyttenbachius ad Plutarchum de Is. et Osir. T. VII, 2. p. 211: Philarchus *paucis scriptor memoratur, at* Phylarchus *plurimis proditur et Plutarcho multis locis: et hoc nomen saepe cum illo permutatum reperitur: neque firmiter statuendum aut nullum scriptorem* Philarchum *fuisse, aut hanc scripturam in hujus celebrati scriptoris nomine falsam esse: certe nulla est ratio* Phylarchum *contextui invehere*

ubi omnes codices in Philarcho *consentiunt. Itaque et nos hoc retinuimus* p. 345 E (utrum bello an doctrin. Athen. clarior. fuerint init.) *et Xylander, quamquam in Latina interpretatione alterum posuit.* Non ulla ratio nec argumentum suppetit, cur Philarchum a Phylarcho diversum ponamus, (vide fragmenta e Plutarcho collecta, quae omnia noster Phylarchus sibi vindicat) quin firmiter statuo, Graecos omnino nomine Φίλαρχος non usos esse. Libertatis amantissimus populus ab hoc nomine abhorrebat, (aliud sonat *Philocrates*) et nusquam Philarchi alicujus memoria extat. Nam nec serio quisquam Φιλαρχον Sophili comici fabulam ab Athenaeo III, 56. 99. p. 100 a. 125 e laudatam mihi apponet, nec Centuripinus et Haluntinus Philarchi apud Ciceronem in Verrem IV, 12. V, 34. sententiae meae adversantur et fortasse rectius emendatione tolluntur.

Scriptura nominis constituta transeo ad ea, quae apud veteres de Phylarcho ipso ejusque scriptis prodita habemus. Sunt illi veteres satis novi, Eudocia nimirum (in Violario) et Suidas, quorum verba fere gemina ex editione Villoisoniana et Kuesteriana accurate descripta exhibeo:

Eudocia p. 422.

Φύλαρχος Ἀθηναῖος, κατὰ δέ τινας Ναυκρατίτης· οἱ δὲ Αἰγύπτιον ἔγραψαν, ἱστορικός· ἔγραψε τὴν ἐπὶ

Πελοπόννησον Πύῤῥου τοῦ Ἠπειρότου (lege Ἠπειρώτου) στρατιὰν (lege στρατείαν) ἐν βιβλίοις κή· κατάγει δὲ καὶ μέχρι Πτολεμαίου τοῦ Εὐεργέτου καὶ τῆς Βερενίκης τελευτῆς, καὶ ἕως τοῦ θανάτου Κλεωνύμου (lege Κλεομένους) τοῦ Λακεδαιμονίου, ἐπιστρατεύσαντος αὐτῷ Ἀντιγόνου· τὰ κατὰ τὸν Ἀντίοχον καὶ τὸν Περγαμηνὸν Εὐμενῆ (scribe Εὐμένη)· ἐπιτομὴν μυθικὴν περὶ τῆς τοῦ Διὸς ἐπιφανείας· καὶ εὑρημάτων παρεμβάσεων βιβλία θ΄· καὶ ἄλλα τινά.

Suidas s. n.

Φύλαρχος, Ἀθηναῖος ἢ Ναυκρατίτης (οἱ δὲ Σικυώνιον· ἄλλοι δὲ Αἰγύπτιον ἔγραψαν) ἱστορικός. Τὴν ἐπὶ Πελοπόννησον Πύῤῥου τοῦ Ἠπειρώτου στρατείαν ἐν βιβλίοις κή· κατάγει δὲ καὶ μέχρι Πτολεμαίου, τοῦ Εὐεργέτου κληθέντος, καὶ τῆς Βερενίκης τελευτῆς· καὶ ἕως τοῦ θανάτου Κλεωνύμου (l. Κλεομένους) τοῦ Λακεδαιμονίου, ἐπιστρατεύσαντος αὐτῷ Ἀντιγόνου. Τὰ κατὰ τὸν Ἀντίοχον καὶ τὸν Περγαμηνὸν Εὐμενῆ (Εὐμένη.) Ἐπιτομὴν μυθικήν. Περὶ τῆς τοῦ Διὸς ἐπιφανείας. Περὶ εὑρημάτων. Παρεμβάσεων, βιβλία θ΄.

Cf. Vossius de historic. Gr. I, 18. p. 111 sq. — Cum optio data sit, utrum Phylarchum Atheniensem an Sicyonium an Aegyptium sive Naucratiten (nam utrumque eodem redit) facere velimus, aut Athenae

aut Naucratis patria urbs dicenda esse videtur. Utra vero fuerit jam Athenaeus dubius haesit II, 51. p. 58 c: *Φύλαρχος Ἀθηναῖος ἢ Ναυκρατίτης.* Suspicari possis Athenis natum Naucrati vixisse, et ideo Athenaeum, ipsum Naucratiten, jam non ad liquidum perducere potuisse utrum Athenis an Naucrati natus sit. Sed huic conjecturae e Plinio patrocinium petere non licet. Nam quod tradit ille histor. nat. XXXV, 11, 40. Athenionem Maroniten in templo Eleusino *Phylarchum* pinxisse, non imaginem Phylarchi nostri, ut Harduinus opinatur, in honorem popularis sui a civibus Atheniensibus ibi positam significari puto. Quid Phylarchi imago in templo Eleusino? nec temporum rationes convenire videntur, cum Athenionem Olymp. CXVIII. floruisse statuant, cf. Sillig Catalog. artific. s. n. Athenio et Glaucio. Fuerit ille Phylarchus *tribuum praefectus*, Fabricius ad Sextum Empir. adv. mathem. I, 12. p. 271, cf. Harpocration: *Φύλαρχός ἐστιν ὁ κατὰ φυλὴν ἑκάστην τοῦ ἱππικοῦ ἄρχων, ὑποτεταγμένος δὲ ἱππάρχῳ, ὡς Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ φησί.* Wachsmuth Notit. Antiq. Hellen. I, 1. p. 170. 173. At, dicat aliquis, Phylarchus Naucrati natus Athenis potius vixisse dicendus est; nam qui in Aegypto degens hospes adeo libere de regibus Aegypti judicare, vide fragm. XLI, et Cleomeni tam impense favere ausus esset? Recte, nec a nobis hanc quaestionem solvi posse censeo. —

Jam quo tempore Atheniensis ille sive Naucratites vixerit dispiciamus. Nec Eudocia nec Suidas tempus accurate definiunt, sed satis habent dixisse, Phylarchum historias suas usque ad mortem Ptolemaei Euergetae, Ol. CXXXIX, 4, Polybius V, 34. 36, et Berenices et Cleomenis deduxisse. Addunt Vossius et Sevinus, cum *τὰ κατὰ τὸν Ἀντίοχον καὶ Περγαμηνὸν Εὐμένη* libro singulari persecutus sit, adhuc circa Ol. CXLVII, 3 = 190 a. C. n. vixisse statuendum esse. Sed huic rationi ne temere fidamus, cum non tam firmis argumentis probare possimus Antiochum illum esse Antiochum III. Magnum, ut omnis dubitatio evanescat, vide quae infra de hoc libro disputamus. Equidem certiora secutus Phylarchum circa Ol. CXLII, 3 = 210 a. C. n. historias suas composuisse pono, nec praeterea quidquam de ejus aetate statuere ausim. Dicit enim Polybius II, 56, quem testem locupletissimum habeo: *ἐπεὶ δὲ τῶν κατὰ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς Ἀράτῳ γεγραφότων παρ' ἐνίοις ἀποδοχῆς ἀξιοῦται Φύλαρχος κ. τ. λ.* Jam cum Aratus Ol. CXLI, 2 = 215 a. C. n. mortuus sit, Polyb. VIII, 14, et *Commentarios suos* usque ad Ol. CXL deduxerit, Polyb. I, 3. IV, 2. Heerenius de fontib. et auctorit. vitar. Plutarchi p. 76. 80, non longe a vero aberrasse mihi videor posita Ol. CXLII, cf. Niebuhrius l. l. p. 256. not. 54.

Tempore quo Phylarchus historias suas conscrip-

serit definito, operum recensum ita instituo, ut de scriptis historicis ultimo loco agam. Sunt autem Suida auctore sex: ἐπιτομὴ μυθικὴ, περὶ τῆς τοῦ Διὸς ἐπιφανείας, περὶ εὑρημάτων, παρεμβάσεων βίβλια θ', τὰ κατὰ τὸν Ἀντίοχον καὶ Περγαμηνὸν Εὐμένη, ἡ ἐπὶ Πελοπόννησον Πύῤῥου τοῦ Ἠπειρώτου στρατεία ἐν βιβλίοις κή. Eudociae textus contra quatuor tantum exhibet, quippe cum in unum contracta sit ἐπιτομὴ μυθικὴ περὶ τῆς τοῦ Διὸς ἐπιφανείας et περὶ εὑρημάτων παρεμβάσεων βιβλία θ'. Quorum prius ut ferri potest atque fere probo, ita alterum rejicio atque nego librum περὶ εὑρημάτων et παρεμβάσεων βιβλία in unum conflari posse. Quinque igitur ex hac ratione forent libri Phylarchi, nisi nostra aetate edita scholia in Aelium Aristidem sextum ἄγραφα inscriptum suppeditarent, quem in ordinem Phylarcheorum recipere nullus dubito, praesertim cum Eudocia librorum indici addiderit καὶ ἄλλα τινά. Jam singula videamus.

1. Ἐπιτομὴ μυθικὴ περὶ τῆς τοῦ Διὸς ἐπιφανείας igitur, sive ἐπιτομὴ μυθικὴ et liber περὶ τῆς τοῦ Διὸς ἐπιφανείας argumenti mythologici erant. Qualis fuerit ἐπιτομὴ μυθικὴ, si ab altero illo libro diversam ponimus, docere nos potest Apollodori βιβλιοθήκη· sin unus liber erat, Phylarchus in epitomen redegit quae apud alios scriptores *de Jovis praesentia* tradebantur. Ita enim ἡ Διὸς ἐπιφάνεια

Latine reddenda est, Cicero de N. D. II, 2. 66, Casaubon. ad Athen. XII, 60. p. 542, XV, 12. p. 672 a. Post Maussacum ad Harpocrationem s. v. φαρμακὸς, T. II. p. 243. edit. Lips., qui τὴν ἐπιφάνειαν et τὰ ἐπιφάνεια sine discrimine poni sumebat, Siebelis in praef. ad Phanodemi fragm. p. XX sq. de his vocabulis disputavit et qui differant exposuit. Ἡ ἐπιφάνεια θεοῦ, inquit, *est quum deus vel auxilio ferendo, vel poena sumenda, vel quoquo modo suae praesentiae signum dare creditur, cf. Wesseling. ad Diodor. Sic. I, 25, d'Orville ad Chariton p. 285, Toup. epist. crit. p. 141. Ister igitur* ἐν ταῖς Ἀπόλλωνος ἐπιφανείαις (cujus Harpocratio meminit) *res narrasse videtur, quibus probaret Apollinem suam saepe declarasse praesentiam. Maussacus vero putavit, Istrum hoc opere de sacris egisse, quae peragerentur ad. celebrandam memoriam Apollinis* ἐπιφανείας. *Sed ista sacra, de quibus loquitur Maussacus, seu diem quo* ἡ ἐπιφάνεια θεοῦ τινος *celebrari* solebat, *significant* τὰ ἐπιφάνεια, *quam in rem Nimptsch in diss. de* ἐπιφανείαις θεῶν, *Lipsiae* 1720, *p.* 10. *laudavit Casaubon. exercit. et in Baron. Annal. p.* 168. Atquè huic vocabuli ἡ ἐπιφάνεια significationi patrocinatur Dionysius Hal. II, 95 a Maussaco laudatus: πάνυ δ' ἄξιον καὶ τὴν ἐπιφάνειαν ἱστορῆσαι τῆς θεᾶς (τῆς Ἑστίας), ἣν ἐπεδείξατο ταῖς ἀδίκως ἐγκληθείσαις παρθένοις. De Istro adde

Plutarchum de musica 14: Ἀντικλῆς (Ἀντικλείδης) καὶ Ἴστρὸς ἐν ταῖς ἐπιφανείαις. — Epitomen mythicum plures libros complexam esse nusquam proditum legimus, atque errat Sevinus qui l. l. p. 123 septimum et nonum ejus librum a scholiaste Apollonii Rhodii et Sexto Empirico laudari putat. Utrumque meo jure potius ad historias retuli, vide fr. XIV. XVII. cll. XV, cum prior locus antiquissimam historiam Cyrenarum spectet, cujus urbis Phylarchus in historiis saepius mentionem facere debebat, alter ejusmodi sit, ut in quovis opere historico alicubi scriptus esse potuerit. Et teneamus, nescire nos epitomen mythicam plurium librorum fuisse. Quae, ut videtur, e scriptis his mythologicis servata sunt invenies fr. LXXIX—LXXXIII.

2. Sequuntur ἄγραφα, quorum memoria apud solum scholiastem in Aelii Aristidis orationes exstat: ὡς ἐν ἀγράφοις ὁ Φύλαρχός φησι, vide fr. LXXIX. Nec novimus ullum alium qui librum ἄγραφα inscriptum ediderit, nec nisi conjectura augurari possumus quale argumentum Phylarchi libro fuerit. Quocum vix recte componi posse videntur ἄγραφα qualia Platonis laudantur, placita non perscripta sed scholae successione servata, de quibus vide Wyttenbachii copias ad Platon. Phaedon. p. 138. Argumenti mythologici fuisse credam, ut ἄγραφα sint, quae reconditioris et abstrusioris doctrinae de rebus sacris habean-

tur et quae religio aliorum nondum scriptis consignaverit, sed traditione non scripta servaverit. Neque tamen magnopere repugnabo, si quis contendat *ἄγραφα* nostra similia fuisse Eumolpidarum *πατρίοις* et *ἀγράφοις νόμοις*, de quibus cf. Lobeckii Aglaopham. p. 193, aut complexa esse, quae sive apud Athenienses sive apud alios populos *usu et moribus recepta* fuerint, cf. Plato de legib. VII, 4. p. 793 H. St.: *ὅτι ταῦτ' ἐστι πάντα, ὅσα νῦν διεξερχόμεθα, τὰ καλούμενα ὑπὸ τῶν πολλῶν ἄγραφα νόμιμα, καὶ οὓς πατρίους νόμους ἐπονομάζουσιν οὐκ ἄλλα ἐστὶν ἢ τὰ τοιαῦτα ξύμπαντα κ. τ. λ.* cf. VIII, 8. p. 841. et Astius ad I, 8. — Quae si displicent scribas *ἐν ἀτάκτοις*, est enim locus scholiastae valde turbatus et corruptus, cum Philetae Coi *ἀτάκτων* meminerit Athenaeus III, 81 p. 114 e et alibi, et Istri *ἀτάκτου* Harpocratio s. v. *παιανιεῖς*.

3. *Περὶ εὑρημάτων* liber Phylarchi nomen magno scriptorum de hac re numero addit, qui celebrem in antiquis monumentis locum obtinent, ut Marxii verbis utar, quem vide ubi de Ephori *εὑρημάτων βιβλίοις β'* agit p. 30 sq. et cf. quos ibi laudat; adde Majum ad Polyb. Excerpta Vatic. XXXIX, 7, Lobeckium Aglaoph. p. 168. Fragmenta quae ad hunc librum referri possint non inveni.

4. Et Eudocia et Suidas *παρεμβάσεων βιβλία θ'* recensent. Quid tandem sunt *παρεμβάσεις*? Nescio

quid sibi velit Vossius, qui librum *de significationibus* inde effecit. Sevinus e Suida affert περὶ παρεισβάσεων, non autem addit e quanam editione Suidae. Certe delendum esset περὶ, sed vocabulum παρεισβάσεις aeque ac παρεμβάσεις nullusdum alicubi legit. Proclive est, quod Sevino quoque in mentem venit, scribere παρεκβάσεων βιβλία ϑ'. Παρέκβασις enim sive παρεκτροπὴ est rhetoribus digressio a proposita oratione et quasi evagatio, quibus omnes et historici et poetae fere utuntur, multi abusi sunt, vel Theopompus ideo notatus a Dionysio Halic. vett. scriptt. censura p. 70, 28. ed. Sylb. et Theone Progymn. p. 33. ed. Camerar., vide Pflugk de Theopompo p. 38 sq. De vocabulo παρέκβασις cf. Polybius III, 9. 33. et alia in Schweighaeuseri Lexico Polyb. Tractaverit igitur Phylarchus in παρεκβάσεων libris res in historiis praetermissas ne lectores longius diduceret, et tamen cognitu jucundas. At vero, dicat aliquis, tum rectius libros hosce ἄτακτα, ποικίλαι ἱστορίαι aut alio vocabulo, qualia multa exhibet A. Gellius in praefatione sua, inscripsisset; mira profecto res sunt *digressionum libri*, cum digressio non esse possit, ubi nihil est *unde* oratio digrediatur. Me quoque male habent hae e conjectura positae παρεκβάσεις, et vide num certe aeque bene codicum παρεμβάσεις retinere possimus. Παρεμβαίνειν est *juxta incedere*, et παρεμβάσεις Phylarchus fortasse opus

hoc appellavit, quod quasi comes juxta historias suas incederet et res in iis narratas illustraret. Et veteres libris suis nova et singularia nomina indere amabant. Ex hoc opere, ut videtur, petita sunt fr. LXIV—LXVI, in quibus agitur de Themistoclis filiis, de Demosthene, de mense quo Troja capta sit, quamquam eadem haec historiis alicubi inserta fuisse possunt.

5. *Τὰ κατὰ τὸν Ἀντίοχον καὶ Περγαμηνὸν Εὐμένη* incertos nos faciunt, quorum regum inter plures ejusdem nominis res a Phylarcho tractatas esse statuamus. Vossium et Sevinum Antiochum III. Magnum et Eumenem II. intelligere jam dixi. Et bello et pace illo tempore inter regnum Pergamenum et Syriacum plurima negotia intercessisse in vulgus notum est, et erat igitur quod quis singulari volumine comprehendere posset. Jam si reliquos reges quorum hic ratio haberi potest perlustramus, occurrunt Antiochus I. Soter, Antiochus Hierax, Eumenes I. Eumenem I. contra Antiochum I. bellum gessisse eumque prope Sardes, Ol. CXXIX, 2 = 263 a. C. n., vicisse testatur Strabo XIII p. 624 a (p. 148 ed. Tauchn.) a Niebuhrio Opusc. p. 277. not. 71. laudatus. Idem Niebuhrius l. l. et p. 286. not. 81. inter Eumenem et Antiochum Hieracem inimicitias et bellum ortum esse suspicatur. Quominus vero Niebuhrium secuti Phylarchum res Antiochi Soteris aut

Hieracis exponentem faciamus, impediunt historiae ejus, quae eaedem haec tempora et has res complectebantur. Nisi igitur statuere volumus Phylarchum res inter Antiochum sive Soterem sive Hieracem et Eumenem gestas singulari volumine ante vel post compositas historias comprehendisse, necesse est res Antiochi Magni et Eumenis II. argumentum libri Phylarchei fuisse. Quo sumto Phylarchi aetas usque ad Ol. CXLVII, 3 = 190 a. C. n. proferenda est.

6. Ordinem claudunt *historiarum libri XXVIII.* Ita enim opus hoc inscriptum fuisse idoneis argumentis evincam. Quodsi Eudocia et Suidas dicunt: *ἔγραψε τὴν ἐπὶ Πελοπόννησον Πύῤῥου τοῦ Ἠπειρώτου στρατείαν ἐν βιβλίοις κή, κατάγει δὲ καὶ μέχρι Πτολεμαίου τοῦ Εὐεργέτου κληθέντος καὶ τῆς Βερενίκης τελευτῆς καὶ ἕως τοῦ θανάτου Κλεομένους τοῦ Λακεδαιμονίου, ἐπιστρατεύσαντος αὐτῷ Ἀντιγόνου*, initium et finem, non titulum operis significant. Ineptus fuisset Phylarchus opus viginti octo libris conclusum et ad mortem Cleomenis deductum *Expeditionem Pyrrhi in Peloponnesum* inscribens. Nec noverunt Apollonius Dyscolus et Athenaeus opus ita inscriptum, at noverunt *historias*, *Φύλαρχος διὰ τῆς τρίτης τῶν ἱστοριῶν, ἐν τετάρτῃ ἱστοριῶν, ἐν τῇ πέμπτῃ καὶ εἰκοστῇ τῶν ἱστοριῶν*, vide fr. I. V. XVI. XLV., ne plura e multis commemorem. *Incipiebant vero Phylarchi historiae a Pyrrhi expeditione in Peloponne-*

sum, Ol. CXXVII, 1 = 272 a. C. n. *et finiebantur morte Ptolemaei Euergetae et Berenices et Cleomenis III. regis Spartanorum, qui ab Antigono Dosonte ad Sellasiam victus Alexandriam se contulerat* Ol. CXXXIX, 4 = 221 a. C. n., *ita ut viginti octo libris spatium quinquaginta annorum complecterentur.* Errorem Eudociae et Suidae qui pro Cleomene Cleonymum nominant significasse satis est, cum nullus rex Cleonymus illo tempore fuerit, cf. Schweighaeuser. ad Polyb. II, 56, Manso Sparta T. III, 2 p. 134. Illuc quinquaginta annorum spatium Manso quoque l. l., Heeren. de Trogi Pompeji fontib. et auctorit. p. 232. cll. eodem de font. et auctor. vitt. parall. Plutarchi p. 40, Niebuhr. Op. p. 269. not. 62. historiis Phylarchi assignant et fragmenta idem comprobant. Aliter, ut Raderum a Fabricio Bibl. Gr. T. II, p. 225. ed. antiquae refutatum taceam, qui Phylarchum in scriptoribus rerum Alexandri Magni numerabat, statuunt Sevinus p. 121 et Schoellius Hist. Litt. Gr. T. II. p. 133, qui Phylarchum initium scribendi a morte Alexandri M. Ol. CXIV, 2 = 323 a. C. n. sumsisse putant, cum in historiis suis res ante Pyrrhi expeditionem gestas tractaverit veluti Demetrii Poliorcetis, Lysimachi, aliorum. Sed de his et aliis Phylarchus *κατὰ παρέκβασιν* et *ἐν παρόδῳ* dixit; nam qui exorsus a morte Alexandri M. Ol. CXIV, 2, tanta rerum gravissima-

rum copia suppetente, in tertio libro jam de Patrocli expeditione in Graeciam Ol. CXXVII. suscepta, vide fr. I., in sexto de morte Alexandri Pyrrhi filii, vide fr. VIII, in decimo quarto simul de rebus Demetrii Poliorcetis, simul de rebus Seleuci Callinici, vide fr. XXIX. XXX, agere potuisset? Adde quod Plutarchus in vita Pyrrhi non meminit Phylarchi, ubi de plurimis bellis prius ab eo gestis refert, ubi vero narratio ad expeditionem in Peloponnesum pervenit statim Phylarchum laudat, vide fr. XLVII. — Historias ad mortem Cleomenis Ol. CXXXIX, 4. deductas esse inter omnes convenit; nam errorem Schoellii, qui idem statuit tum vero addit ultimo libro expeditionem Pyrrhi in Peloponnesum Ol. CXXVII, 1. expositam fuisse ab interprete Germanico sublatum vellem.

Et erant hi quinquaginta anni — admonent nos illorum quinquaginta trium annorum Polybii III, 1. — satis ampla et copiosa materies viginti octo libris, quae simul aptum et initium et finem praebebat. Historiae Phylarchi, quae erat illorum temporum condicio et ratio, gravissimae et luctuosissimae tragoediae instar erant; omnia quae complectebantur ad occasum vergebant, et Graecia et singula regna, quae Alexandro mortuo in orientali orbis terrarum plaga condita erant. Neque tamen inertia et torpor quas dixi civitates obtinebant, sed potius continuis

discordiis, caedibus, bellis omnia mixta erant et turbata. Solum regnum Macedonicum et recens ortum sive oriens Pergamenum speciem quandam ordinis civilis et firmitatis praebuerunt; Graecia, primo a tyrannis obsessa, tum discors et divisa inter Achaeos, Aetolos Lacedaemoniosque, propter mutuam invidiam et pusillum Arati et foederis Achaici animum vitam aegram et debilem traxit, et sublato Cleomene, qui unus perdidas res restituere potuisset, senio confecta est; Syria et Aegyptus regum gravitate et sceleribus vires immensas longis bellis nequicquam profuderunt. Quibus civitatibus si Cyrenen et Galatas addideris, habes quarum res Phylarchus scribendas sibi sumserat. Regium imperium illis temporibus obtinuerunt Macedoniae Antigonus Gonatas, Demetrius II., Antigonus Doson, Epiri Pyrrhus II., Alexander II., Pyrrhus III., Spartae inter alios Eurysthenidae Areus I., Acrotulus, Areus II., Leonidas II., Cleomenes III., Proclidos Agis III., Pergami Philetaerus, Eumenes I., Attalus I., Syriae Antiochus I. Soter, Antiochus II. Deus, Seleucus II. Callinicus et Antiochus Hierax, Seleucus III. Ceraunus, Aegypti Ptolemaei II. Philadelphus, III. Energetes, IV. Philopator; foederis Achaici gubernaculum plerumque tenebat Aratus. Quorum regum historiam qui memoria recolit, ejus animo inimicitiae, fugae, caedes bellaque quae neutri parti vera commoda afferebant, obversabuntur.

Ita incipiebant Phylarchi historiae ab expeditione et morte Pyrrhi, inquieti et varii regis, sed strenui bellatoris, mediae erant res maximam partem tristes et animum legentis affligentes Epiri, Spartae, Syriae, Aegypti, paulo laetiores Macedoniae, Pergami et adeo foederis Achaici, finem faciebat mors Antigoni Dosontis, Ptolemaei Euergetae, infortunium et interitus Cleomenis, qui prudentia et summa virtute usus tandem antiquorum heroum similis iniquo fato succubuit. Jam non Graecia habuit cui confidere et inniti et a quo salutem exspectare posset, Aegypti solium occupabat homo nequam Ptolemaeus Philopator, Macedoniae et Syriae sors manibus puerorum fere, Philippi III. et Antiochi III. commissa est. Non immerito igitur dixisse puto, Phylarchi historias tempus et rerum gravitate et vicissitudine insigne complexas esse.

Sed idem dixi Phylarchum ingenua et vere Graeca indole praeditum fuisse, genere dicendi gravi, fervido, sensus et dolores habente usum esse, et meruisse cui fides habeatur. Quae ut probem argumenta mihi petenda sunt ex sola Cleomenis Spartani historia, qualis a Phylarcho litteris prodita et nobis apud Polybium et Plutarchum servata est, cum integro opere careamus, fragmenta reliqua nimis brevia et abrupta sint. Et ne quis putet, inde plene haec effici non posse, sciat hic locum habere vetus

illud ᾧ τρώσας σε ἰάσεται. Cleomeens, qui solus Phylarcho vituperationis et criminum causa erat, solus eum liberabit. Cum vero totam Cleomenis et temporis illius historiam persequi non possim, lectores rogatos esse velim ut memores sint eorum, quae Polybius II, 45—70. V, 35—39, Plutarchus in vitis Cleomenis et Arati referunt, cll. Mansone Sparta T. III, 1. p. 303—351, Helwing. histor. foeder. Achaici p. 122—167. — Laudabili Arati studio plurimis Peloponnesi urbibus a tyrannorum dominatione, quos praecipue Demetrius II. foverat, Polyb. II, 44, liberatis, foedus Achaicum eodem Arato duce laeta virium incrementa cepit. Neque tamen Aratus viris domi militiaeque magnis annumerandus est, quippe qui timidus et ignavus non rebus gerendis superior esset, sed a rebus consilia sua suspensa haberetur, callide cunctando, tergiversando et dissimulando tempora captans, in quibus lucellum et gloriolam sibi pareret, neque inter reliquos Achaeorum praetores et principes ullus exstitit, qui fortitudine aut consilio emineret. Ita factum est ut foedus Achaicum satis ampli sed debilis et infirmi corporis instar fluctuaret, et, cum Aratus propter invidiam in alios et ambitionem ridiculam melioribus et praestantioribus Graecis qui Achaei non essent cedere nollet, aegram inter certamina vitam traheret et postremo se totamque Graeciam perderet. Non enim Graecus

sed merus Achaeus erat Aratus, et si fere apud nos Aratum una cum foedere Achaico variis et magnis laudibus celebratum videmus, non uni rerum veritati sed Polybii auctoritati hoc tribuendum est. Polybius enim et ipse merus Achaeus totus est in laudando Arato et Achaeis, obliquo oculo intuetur Aetolos et Lacedaemonios. Quamquam vero manifestum hoc partium studium homines advertere debebat, ne Polybio temere in omnibus fidem haberent, auctoritas tamen ejus, aliis in rebus bene parta, tantum valuit, ut etiam falsa et minus recta pro veris et rectissimis habita sint. Ne hoc de Polybio lato judicio in crimen temeritatis ipse incurram, non jam est quod timeam, cum de toto hoc loco doctissime et subtilissime disputaverit *Ch. Lucas* in libro quem Germanice scripsit *de modo, quo Polybius res foederis Aetolici tractaverit*, Regimontii 1827, quem vide quum alibi tum p. 46—54. 58. 59. 61—93. — Et exstitit Arato et Achaeis, cum animum nollent, adversarius maxime metuendus, Cleomenes III. rex Spartae. Qui, sublatis ephoris et restituta Lycurgi disciplina, fortitudine, prudentia et animi altitudine ita excelluit, ut Aratum, Achaeis saepius fusis et fugatis, in urbes se recipere cogeret et omnes admiratione sui impleret. Jam Aratus, bonorum consiliorum inops, propter invidiam et vitae delicatae amorem prava secutus, contra voluntatem Achaeorum

spreto Cleomene, qui bis pacem obtulit et ut se Graecum et Heraclidam pro Macedone in societatem reciperent petiit, ad Macedonum opes confugit iisque libertatem Peloponnesi et totius Graeciae prodidit. Quae cum Polybius excusare nesciret omisit, at Plutarchus, in aliis Polybii vestigia premens, a se impetrare non potuit, ut hanc Arati sive amentiam sive turpitudinem silentio tegeret, Plutarch. Arat. 39. Cleomen. 16. 17. Ar. 41. 42. Cl. 19. cf. Lucas l. l. p. 58. 59. Hanc Cleomenis virtutem et imaginem veteris Graecorum gloriae prae Arati imbecillitate et aevi praesentis miseria Phylarchum vehementer commovisse non magis mirum est, quam Polybium, qui genere, indole, statu civili et Achaeis addictissimus erat nec pristinam Graecorum excellentiam mente sua capiebat aut sentiebat, Lucas l. l. p. 30 sq. 51 sq., a Phylarcho refugisse. Atque ita pervenimus ad cardinem quaestionis de fide Phylarcho habenda aut neganda. Nam ut repetamus quae supra posuimus, solus Cleomenes Phylarcho criminum causa fuit, nec praeterea quidquam est quod ei vitio vertatur. Phylarchus Cleomenem in sinu et ore gestabat, virtute et excelso animo adolescentis gaudebat, imagine quasi redeuntis gloriae et potestatis Graecorum exsultabat, tristem casum quo afflictus periit deplorabat. Polybius contra, delicias suas Aratum a Phylarcho castigari et perstringi aegerrime ferens, Cleomenis glo-

riam quantum potest velat et obtegit, et irrito hoc conatu acerbatus invehitur ut animo satisfaciat in laudatorem ipsum, Phylarchum, singulas quasdam res quas redarguat arripit, iis mordicus inhaeret, et tum totas ejus historias damnat. Nos igitur ita statuamus, et Phylarchum et Polybium propenso animo alterum erga Cleomenem alterum erga Aratum ductos esse, utrumque suum heroem laudibus extulisse et ornasse et quasi cum eo coaluisse, utrumque, ut fere fit, in cernendis alienis vitiis acutiorem, in propriis hebetiorem fuisse, et neutrum aequum et integrum judicem alterius haberi posse. Si posteros et famam spectamus, Polybii causa potior est, cum auctoritas qua in orbe Romano pollebat memoriae Phylarchi offecerit, et ipse quasi vivus praesensque, cum solus supersit, coram nobis rem suam agat, ita ut aegerrime tandem aequum et verum cognitum sit. Si contra indolem utriusque et facta ipsa contemplamur, Phylarchus superat, cum Cleomenes (quem Polybius ipse debita laude non omnino fraudare audet, IV, 35. V. 35. 39. cf. IX, 23. 29. XVIII, 36.) ejusque consilia et res gestae longe praeferri mereantur Arato et Achaeis eorumque futilibus negotiis. Quod egregie perspexit Niebuhrius, cujus mascula verba ut scripsit appono, ne interpretando gravitatem eorum infringam; ita igitur ille l. l. p. 269. not. 62.: *Phylarchus gehört zu den Schriftstellern die mich eben*

so sehr dauern, als ich den Verlust ihrer Werke beklage. Das Urtheil, welches Polybius gegen ihn ausspricht, wird nicht ohne Grund gewesen sein (sed vide quae infra disputamus), *ist aber doch das parteiische eines achäischen Arcadiers, so wie er Cleomenes hasst, dessen grosse Eigenschaften er doch anerkennen muss. Denn hätte das Schicksal nicht unwiderruflich ausgesprochen gehabt, dass Griechenland sich nicht wieder heben sollte, so war Cleomenes der einzige Mann, der dies Segenswerk vollbringen konnte, freilich auf eine für Arate und Cantons-Eitelkeiten, die lieber alles aufopferten, unbehagliche Art. Sie haben denn auch ihn, sich und alles aufgeopfert: denn das Dasein der Achäer nach dem Cleomenischen Kriege wird man doch keine politische Existenz nennen. Polybius, bei grossen und edeln Eigenschaften, konnte einen allgemein griechischen Sinn nicht begreifen; so wie er Demosthenes ganz und gar nicht begreift. Ja er war den Macedoniern eher hold als gram. Und ein Schriftsteller der sich am letzten Strahl der griechischen Sonne wärmt, kommt ihm wie ein Schwärmer vor, und ärgert ihn.* — Cum vero concesserimus Phylarchum in historiis suis Cleomeni favisse, dispiciendum est quantum favori huic dederit. Favor et gratia rerum scriptorem perlicere possunt ut vel falsa fingat, vel

vera omittat, vel facta imminuat aut exaggeret. Quorum prius ut notari et acriter reprehendi debet, ita secundum et tertium lenius et quod excusari possit est. Polybius haec tria Phylarcho imputans exemplis probare conatur, quae curatius perlustranda sunt, cum Plutarchum permoverint ut in vita Arati 38 scriberet: ὁμοίως δὲ καὶ Φύλαρχος ἱστόρηκε περὶ τούτων (cf. fr. LIX.), ᾧ μὴ τοῦ Πολυβίου μαρτυροῦντος οὐ πάνυ τι πιστεύειν ἄξιον ἦν· ἐνθουσιᾷ γὰρ ὅταν ἅψηται τοῦ Κλεομένους ὑπ' εὐνοίας, καὶ καθάπερ ἐν δίκῃ τῇ ἱστορίᾳ τῷ μὲν (τῷ Ἀράτῳ) ἀντιδικῶν διατελεῖ, τῷ δὲ συναγορεύων. Cf. Lucas l. l. p. 54—57. Severam enim quam Polybius II, 56—63. de Phylarcho agit censuram ab his verbis orditur: ἐπεὶ δὲ τῶν κατὰ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς Ἀράτῳ γεγραφότων παρ' ἐνίοις ἀποδοχῆς ἀξιοῦται Φύλαρχος, ἐν πολλοῖς ἀντιδοξῶν καὶ τἀναντία γράφων αὐτῷ· χρήσιμον ἂν εἴη, μᾶλλον δ' ἀναγκαῖον ἡμῖν Ἀράτῳ προῃρημένοις κατακολουθεῖν περὶ τῶν Κλεομενικῶν, μὴ παραλιπεῖν ἄσκεπτον τοῦτο τὸ μέρος, ἵνα μὴ τὸ ψεῦδος ἐν τοῖς γράμμασιν ἰσοδυναμοῦν ἀπολίπωμεν πρὸς τὴν ἀλήθειαν. Καθόλου μὲν οὖν ὁ συγγραφεὺς οὗτος πολλὰ παρ' ὅλην τὴν πραγματείαν εἰκῇ καὶ ὡς ἔτυχεν εἴρηκε. πλὴν περὶ μὲν τῶν ἄλλων ἴσως οὐκ ἀναγκαῖον ἐπιτιμᾶν κατὰ τὸ παρὸν οὐδ' ἐξακριβοῦν· ὅσα δὲ συνεπιβάλλει τοῖς ὑφ' ἡμῶν γραφομένοις καιροῖς, ταῦτα δ' ἐστι τὰ

περὶ τὸν Κλεομενικὸν πόλεμον, ὑπερ τούτων ἀναγκαῖόν ἐστιν ἡμῖν διευκρινεῖν· ἔσται δὲ πάντως ἀρκοῦντα ταῦτα πρὸς τὸ καὶ τὴν ὅλην αὐτοῦ προαίρεσιν καὶ δύναμιν ἐν τῇ πραγματείᾳ καταμαθεῖν. Jam sequitur locus qui inter fragmenta LImus est, ubi Polybii ipsius et Plutarchi auctoritate probavimus, Phylarchum non mendacium sed meram veritatem tradidisse. Quae igitur incusat Polybius? Phylarchum veritate genere scribendi fervidiore et commodiore exposita lectorum animos percellere voluisse, quod tragoediam non historiam deceat, nec causam addidisse, cur ita in Mantinenses saevitum sit, quam copiose cap. 57 et 58 persequitur; iis autem quae narrentur semper adjici necesse esse causam et modum, ὧν χωρὶς οὔτ' ἐλεεῖν εὐλόγως οὔτ' ὀργίζεσθαι καθηκόντως δυνατὸν ἐπ' οὐδενὶ τῶν καθηκόντων, et postea ἐν παντὶ τὸ τέλος κεῖται τῆς διαλήψεως ὑπέρ τε τῶν [Ψεκτῶν ἢ τοὐναντίον ἐπαινεῶν. cf. III, 4, 1] οὐκ ἐν τοῖς τελουμένοις, ἀλλ' ἐν ταῖς αἰτίαις καὶ προαιρέσεσι τῶν πραττόντων καὶ ταῖς τούτων διαφοραῖς. Cum vero vix probabile sit nec e Polybii verbis pateat, Phylarchum omnino eorum quae Mantinenses prius contra Achaeos perpetraverint mentionem non fecisse, Polybius hoc solum reprehendere videtur, quod Phylarchus infortunium urbis deplorans praeteritorum lectores non admonuerit quae crudelitatem Achaeorum sive potius Macedonum, cum

Antigonus Doson Aratum non multum curaret, Plutarch. Arat. 45, quodammodo excusare potuissent. Quod quam leve crimen sit quivis intelligit. Quin Polybius ipse de Mantinea urbe tacet quae vere facta sunt et Aratum apud plurimos infamem reddebant, nimirum deletam Graecam urbem in honorem Antigoni Antigoneam appellatam esse, vide Plutarchum qui in his Phylarchum recte secutus est, et ipse mendacii reus fit in fine cap. 58. scribens, in solos Mantinenses ab Achaeis tam graviter animadversum esse. Nam eosdem Achaeos et Sellasiae incolas sub corona vendidisse testatur Pausanias II. p. 101. III. p. 178. edit. Wechel. (II, 9, 2. III, 10, 2. Lucas l. l. p. 56. not. 1) Levius etiam alterum est quod Polybius Phylarcho objicit de Aristomacho tyranno atque ita comparatum, ut nemo iniquitatem ejus non persentiat, vide fr. LII. Quod vero Phylarchus constantiam et fidem Megalopolitanorum reticuerit, suo jure Polybius tertio loco queritur, vide fr. LIII., et denique recte evincit Phylarchum de pecunia e praeda Megalopolitana a Cleomene redacta aut turpiter errasse aut rem nimium exaggerasse et ipsum sibi contradixisse, vide fr. LIV. Haec sunt quae Polybius, professus se id agere ut Phylarchi fidem et auctoritatem elevet et deleat, e toto opere eruere potuit, haec sunt quae effecerunt ut hucusque Phylarchi fides omnibus suspecta esset, et jam non, omnibus pensi-

tatis quisquam propter haec Phylarchum spernet. Attamen his non acquiescendam sed longius etiam progrediendum et evincendum est, Phylarchum in historiis probabiliora et veriora retulisse quam Polybium, qui Aratum sequitur, et Pausaniam, de cujus fonte mihi non constat. Occupavit hunc locum Mansonis diligentia (Sparta III, 2. p. 133—140), qui cum Plutarchus, in vita Cleomenis Phylarchum secutus et in vita Arati eodem usus una cum Arateis commentariis et Polybio, in compluribus a Pausania et Polybio discedat, potiora esse quae Phylarchi auctoritate nitantur demonstravit. Quae Mansonis disputatio huc transferatur necesse est, ne quidquam quod in hanc vel illam partem momentum dare possit hic desideretur. Primum igitur Polybius V, 37. cll. VIII, 1. narrat, Archidamum, Agidis III. Spartae regis fratrem, sibi a Cleomene metuentem exilii causa solum vertisse et in Messeniam ad Nicagoram paternum hospitem fugisse; postea eundem, injecta spe reditus et reconciliandae gratiae deceptum, cum interposita Nicagorae opera omnia transacta essent, redeuntem a Cleomene obviam progresso interfectum esse. En novum Cleomenis crimen, sed male fictum! Non Cleomenem adolescentulum, *οὐ πάνυ γάμων ὥραν ἔχοντα*, Plutarch. Cleomen. 1, omni potestate destitutum fugit Archidamus, sed patrem ejus Leonidam, quo auctore Agis interfectus erat, Plutarch.

Agis. 16. 18 sqq. Cleom. 1, et cum Leonida mortuo Cleomenes rex factus collegam desideraret, Archidamum arcessivit, ab inimicis injussu ejus caesum, vide fr. LV. Cleomenes enim propter morum et consiliorum similitudinem Agidis memoriam colebat, cujus uxorem Agiatidem patris jussu in matrimonium ductam tenerrimo amore complexus et ab ipsa amatus est, Plutarch. Cleom. 1. 3. 22. Qui mutuus conjugum amor simul nefandum diluit crimen, cujus Pausanias II, 9, 1 (p. 100) Cleomenem insimulat, veneno sublati Eurydamidae, quem Agiatis ex Agide conceperat. Neque Plutarchus qui pueri meminit Cleomen. 1, neque, quod gravissimum est, Polybius hujus flagitii suspicionem movent. Jam si Cleomenes Archidamo non insidiatus est, concidit alterum quod Polybius narrat, Nicagoram ob mortem Archidami infensum Cleomeni Alexandriae proditione facta interitum ejus accelerasse, et vera videntur quae Plutarchus Cleomen. 35. tradidit, Nicagoram propter aes alienum non solutum inimicitias contra Cleomenem exeruisse. Falsum porro est quod Pausanias l. l. p. 101. dicit *καὶ τὸ κράτος τῆς γερουσίας καταλύσας πατρονόμους τῷ λόγῳ κατέστησεν ἀντ' αὐτῶν.* Cleomenes potius Lycurgeam disciplinam restituit, neque hoc intactum reliquisset Polybius, qui Cleomeni propter sublatos ephoros eversam rei publicae Lacedaemoniae formam, et cum solus per tempus

aliquod rex esset regnum in tyrannidem mutatum objicit II, 47. IV, 81. Quinto loco meminit Manso eorum quae supra p. XXVI. jam alligimus, Cleomenem Achaeis pace et amicitia oblata ab Arato elusum esse, atque Polybium hoc partim omisisse, partim ipsum II, 47—50. obscurius significasse. Sexto denique loco Manso censet, Polybium ipsum II, 55, cll. Plutarcho Cleom. 23—25, ubi de Megalopoli capta agit, animum in Achaeos maxime propensum prodidisse. Hactenus ille. — Jam si longae disputationis nostrae singula momenta colligimus, calculis recte subductis haec ratio constabit, Phylarchum in historia belli Cleomenici Cleomeni favisse quidem, sed non ita ut mendacia commentus sit, a Polybio congesta in eum crimina levia et futilia esse atque Phylarchum etiam Polybianis veriora attulisse, nec quidquam reperiri, quod fidem ejus in aliis historiarum partibus elevet. Quae cum ita sint, Phylarchus fide dignus historicus censendus et Polybio aequandus est. Utriusque enim fides, cum uterque a partium studio non liber fuerit et Polybius adeo loco p. XXX. laudato ipse professus sit se solos Arati commentarios sequi, quos ille *sibi et pro se* composuerat, Manso l. l. p. 133 sq., Lucas l. l. p. 73—76, simul cadit simul manet.

Priusquam autem Phylarcho ab aliis scriptoribus revera fidem habitam esse demonstro, paucis de scri-

bendi genere quo usus est, et de indole, ut dicunt historiarum ejus explicabo. Phylarchus est eorum scriptorum unus, qui deserta veterum elegantia in compositione verborum negligentius versabantur; ita certe subtili Dionysii Halicarnassei judicio visum est, cum nos lenius judicare soleamus, quippe quibus, si a Thucydide et Xenophonte discesseris, ejusdem tantum classis aut inferioris etiam historici servati sint. Dionysii verba (de composit. verbor. p. 5, 16. ed. Sylb.) haec sunt: *τοῖς μὲν οὖν ἀρχαίοις ὀλίγου δεῖν πᾶσι πολλὴ ἐπίδοσις ἦν αὐτοῦ (τοῦ συντιθέναι δεξιῶς τὰ ὀνόματα)· παρ᾽ ὃ καὶ καλά ἐστιν αὐτῶν τὰ μέτρα καὶ τὰ μέλη καὶ οἱ λόγοι· τοῖς δὲ μεταγενεστέροις οὐκέτι, πλὴν ὀλίγων· χρόνῳ δὲ ὕστερον παντάπασιν ἠμελήθη καὶ οὐδεὶς ᾤετο δεῖν ἀναγκαῖον αὐτὸ εἶναι οὐδὲ συμβάλλεσθαί τι τῷ κάλλει τῶν λόγων· τοιγάρτοι τοιαύτας συντάξεις κατέλιπον, οἵας οὐδεὶς ὑπομένει μέχρι κορωνίδος διελθεῖν, Φύλαρχον λέγω καὶ Δοῦριν καὶ Πολύβιον καὶ Σάωνα* (lege *Ψάωνα*, Diodor. Sic. T. II. p. 490 Wess.) *καὶ τὸν Καλαντιανὸν Δημήτριον, Ἱερώνυμόν τε καὶ Ἀντίλογον* (lege *Ἀντίλοχον* sive *Ἀντίοχον*, Vossius de hist. Gr. p. 323) *καὶ Ἡρακλείδην καὶ Ἡγησίαν Μάγνητα καὶ ἄλλους μυρίους, ὧν ἁπάντων τὰ ὀνόματα εἰ βουλοίμην λέγειν ἐπιλείψει με ὁ τῆς ἡμέρας χρόνος.* Cf. Phrynichum infra fr. LXXII. Si modum et rationem scribendae historiae spectamus, plane singulare nec

ulli eorum quae supersunt simile fuisse videtur opus Phylarcheum et fere propius accessisse ad novum et hodiernum historiae genus. Tempora quae complectebatur gravissimae et luctuosissimae tragoediae instar fuisse jam significavi, atque vindicata cognatione quae intercedit inter historicos, poetas oratoresque (cf. locos apud Ulricium de historiograph. vett. p. 300 sqq. laudatos) Phylarchus hoc argumentum ita tractavit, ut legentium animos commovens et percellens modo ira et indignatione, modo commiseratione et tristitia impleret. Quae ratio per se non improbanda, modo rerum veritati non officiat et subtili elegantique judicio temperata sit, cum plane abhorreat a Polybii consilio, qui lectores docere et rerum civilium et bellicarum peritos reddere vult, illi ignobilis, muliebris, tragoediae non historiae conveniens vocatur II, 56. cf. fr. LI. Equidem non omnes uno pede et modulo metiendos esse censens nec omnibus idem convenire, minime sperno historicos, quorum oratio sensus et dolores habet et animum graviter commovet. Illustre exemplum Phylarcheae rationis exstat in vitis Agredis et Cleomenis. Cum Plutarchus in conscribendis vitis singulorum semper plures auctores consuluerit, modo hunc modo illum secutus sit, modo ex hoc modo ex illo aut omnino non aut leviter immutatas partes transscripserit, quod cum ex aliis scriptoribus tum e Polybio probare possumus,

diversa admodum est dictio, diversa ratio rerum exponendarum. Alius generis sunt vitae Agidis et Cleomenis, quae uni Phylarcho innituntur. In his idem est tenor et quasi spiritus orationis ut mihi prae aliis placeant, et quae ibi de Agidis et Cleomenis et mulierum nobilissimarum morte traduntur sunt quae nemo sine animi commotione legat. Similis est extrema pars vitae Pyrrhi inde a capite 26 medio, quae et ipsa e Phylarcho desumpta est, et quae de Danaë narrantur fr. XXIII. Amat porro Phylarchus homines ipsos loquentes facere et coram lectoribus quasi in scena agentes, et cum viris quorum res gestas exponit fere coaluit, quod tangit Plutarchus de gloria Athen. 1: *Ξενοφῶν μὲν γὰρ αὐτὸς ἑαυτοῦ γέγονεν ἱστορία γράψας ἃ ἐστρατήγησε καὶ κατώρθωσε ......, οἱ δ' ἄλλοι πάντες ἱστορικοὶ, Κλεινόδημοι, Δίυλλοι, Φιλόχοροι, Φύλαρχος ἀλλοτρίων γεγόνασι ἔργων ὥσπερ δραμάτων ὑποκριταὶ, τὰς τῶν στρατηγῶν καὶ βασιλέων πράξεις διατιθέμενοι καὶ ταῖς ἐκείνων ὑποδυόμενοι μνήμαις ἵνα ὡς αὐγῆς τινος καὶ φωτὸς μετάσχωσιν· ἀνακλᾶται γὰρ ἀπὸ τῶν πραττόντων ἐπὶ τοὺς γράφοντας καὶ ἀναλάμπει δόξης εἴδωλον ἀλλοτρίας, ἐμφαινομένης διὰ τῶν λόγων τῆς πράξεως ὡς ἐν ἐσόπτρῳ.* Semel Phylarchum hoc lectorum animos commovendi studio ad prodenda falsa abreptum deprehendimus. Falsa enim se Themistoclis filiis eum retalisse et intempestive tragoedias

excitasse Plutarchus docet, vide fr. LXIV.; quamquam Phylarchum ipsum haec finxisse vix crediderim in tanta auctorum discrepantia. Idem multa κατὰ παρέκβασιν historiis inseruit, et ut relaxaret animos opus suum multis salse et jocose dictis virorum clarorum, commemoratione eorum quae sive natura rerum, sive populorum, urbium, hominum mores et casus mira et singularia habent, et quae alia hujus generis sunt, distinxit et ornavit. Quominus autem inde Phylarcho nota addatur, quasi θαυμάσια captaverit et παραδοξογράφων unus fuerit, prohibet fortuna librorum ejus. Nam haec est sors et condicio scriptorum quorum integra opera perierunt, ut ab aliis servata fragmenta plus rerum mirabilium et singularium quam gravium et seriarum contineant. Talia enim aucupabantur Athenaei, Apollonii, Aeliani, nec temeritatis crimen effugeret qui ex his solum de argumento et pretio deperditorum operum statueret. Quantum, ut hoc exemplo utar, erraret qui de Polybianarum historiarum argumento et indole judicium ferret ex iis, quae inde excerpere Athenaeo libuit.

Ita comparatas Phylarchi historias qui consulerent et auctoritati earum inniterentur non defuerunt, et multarum rerum memoria vel soli Phylarcho debetur. Quae autem difficillimam et talem quae plene omnino non institui et peragi possit faciunt hanc quaestionem, duo potissimum sunt, unum et gravis-

simum quod Phylarcheae historiae perierunt, alterum quod qui eis maxime usus est et ipse non integer nobis restat. Facili enim opera nos ex *Trogi Pompeji historiis Philippicis*, si integras haberemus, Phylarchea eruturos fuisse inde clarissime patet, quod vel in Justini epitome ipsa Phylarchi verba dignoscere possumus. Trogus Pompejus in libris XXV—XXVIII. totus e Phylarcho pendet. Tractat Trogus in hisce libris ea ipsa tempora, quae opus Phylarcheum continebat, vide supra p. XVIII., et Phylarcho ita usus est ut ex viginti octo libris ejus quattuor faceret. Recte igitur quamquam cunctantius Heerenius (de Trogi Pompeji fontibus et auctoritate in Comment. societ. Gotting. T. XV. p. 185—245.) p. 232. dicit: *Trogum in his omnibus ex scriptoribus modo laudatis* (Duride, Hieronymo, Phylarcho) *Phylarchum maxime secutum esse, etsi certis argumentis probari nequeat, gravis tamen oritur suspicio.* Nam dubito, quin alius horum temporum scriptor fuerit quem Trogus sequi poterat. Neque Hieronymi historiae usque ad mortem Cleomenis deductae sunt, Heeren. l. l. p. 221., neque de Duride Samio hoc constat. De quo gravissime Schoellius in Histor. litt. Gr. T. II. p. 124. errat, historias ejus a morte Amyntae Macedonis usque ad mortem Jasonis Pheraei pertinuisse narrans, cum eodem tempore, a quo Duris scribendi initium faciebat, tres principes

Amyntas, Jason et Agesipolis Spartanus mortui sint, vide Diodorum Sic. XV, 60. Sicut autem Justinum, ut Heerenii verbis utar, fere unicum ex omni antiquitate testem superstitem habemus de rebus quae quattuor illis libris continentur et praecipue de Syriacis et Galaticis: ita Phylarchus solus hasce res et praecipue Cleomenicas tam copiose exposuit. Et cum Heerenius viderit, Trogum XXVIII, 4. sequi scriptorem Spartanis et Cleomeni potius quam Achaeorum partibus faventem atque hunc Phylarchum esse, equidem addo, ipsa Phylarchi verba et apud Plutarchum et in Justini epitome exstare, unde concludere possumus, et Plutarchum Phylarchi verba omnino non aut leviter immutata sua fecisse et Trogum eadem ad verbum Latine interpretatum esse. Audias Justinum XXVIII, 4.: *patentibus omnes domibus saucios excipiebant, vulnera curabant, lassos reficiebant. Inter haec nullus in urbe strepitus, nulla trepidatio, magisque omnes publicam quam privatam fortunam lugebant. Inter haec Cleomenes rex post multas hostium caedes toto corpore suo pariter et hostium cruore madens supervenit; ingressusque urbem non humi consedit, non cibum aut potum poposcit, non denique armorum onus deposuit: sed acclinis parieti, cum quattuor millia sola ex pugna superfuisse conspexisset, hortatur, ut se ad meliora reipublicae tempora reservarent*, et cum his

compone Graeca apud Plutarchum Cleom. 29.: ἐπεὶ δ᾽ εἰς τὴν πόλιν ἀφίκετο, τοῖς μὲν ἀπαντῆσασι τῶν πολιτῶν παρῄνει δέχεσθαι τὸν Ἀντίγονον, αὐτὸς δ᾽ εἶπε, εἴτε ζῶν, εἴτ᾽ ἀποθανὼν, ὃ μέλλοι τῇ Σπάρτῃ συνοίσειν, τοῦτο πράξειν· ὁρῶν δὲ τὰς γυναῖκας τοῖς μετ᾽ αὐτοῦ πεφευγόσι προστρεχούσας καὶ δεχομένας τὰ ὅπλα καὶ πότον προσφερούσας, αὐτὸς εἰσῆλθε μὲν εἰς τὴν οἰκίαν τὴν ἑαυτοῦ, τῆς δὲ παιδίσκης, ἣν εἶχεν ἐλευθέραν οὖσαν ἐκ Μεγάλης πόλεως ἀνειληφὼς μετὰ τὴν τῆς γυναικὸς τελευτὴν, ὡς εἰώθειστο, προσιούσης καὶ βουλομένης ἀπὸ στρατείας ἥκοντα θεραπεύειν, οὔτε πιεῖν ἐκδεδιψηκὼς ὑπέμεινεν, οὔτε καθίσαι κεκμηκὼς, ἀλλ᾽ ὥσπερ ἐτύγχανε τεθωρακισμένος τῶν κιόνων τινὶ τὴν χεῖρα προσβαλὼν πλαγίαν, καὶ τὸ πρόσωπον ἐπὶ τὸν πῆχυν ἐπιθεὶς καὶ χρόνον οὐ πολὺν διαναπαυσάμενος τὸ σῶμα καὶ τῇ διανοίᾳ περιδραμὼν ἅπαντας τοὺς λογισμοὺς ὥρμησε μετὰ τῶν φίλων εἰς τὸ Γύθιον. Et Trogum historiam horum temporum e Phylarcho hausisse Niebuhrius quoque censet l. l. p. 256. nota 54., ubi simul primae legationis a Romanis in Graeciam circa Ol. CXXXIV, 3. missae fidem, quam Justinus XXVIII, 2. memorat, contra Polybium tuetur et in responsione Romanis ab Aetolis data Phylarcheum spiritum significat. Idem p. 284. nota 78. monuit, cum Phylarchus Ariamnem maritum amitae Antiochi Hieracis κηδεστὴν Antiochi nominaverit, quod Graeci sermo-

nis usus ferat, hoc Trogo fraudi fuisse qui *socerum* verterit. Cf. quoque fr. XXXI. — Turbas quae Alexandri M. mortem exceperunt et certamina inter Cassandri filios, tum inter Demetrium, Pyrrhum et Lysimachum in Trogi libris XIII—XVI. e Phylarcho certe ex parte petita esse suspicatur Heerenius p. 221 et 223., et nonnulla fortasse Phylarchus κατὰ παρέκβασιν tetigit, cum haec tempora non ad historias ejus pertineant, sed hoc pro certo affirmare non ausim. At quae Justinus XIII, 7. de originibus Cyrenarum urbis habet non ex poeta aliquo, quod vult Heerenius p. 222, sed e Phylarcho sumta esse videntur, vide fr. XIV. XV., et ad eundem referri possint, quae XV, 4. de Sandrocotto leguntur, vide fr. XXXVIII., si non ex Megasthene desumta sunt, cf. Heeren. p. 223. Hactenus de Trogo Pompejo. — *Plutarchus* in quibusnam vitis Phylarchum auctorem sequi potuerit ut facile est dictu, ita secutum esse non majore opera probare licet. Sunt autem *vitae Agidis*, *Cleomenis*, *Arati*. Quarum duae priores ita Phylarcho quasi fundamento superstructae sunt ut Plutarchus passim tantum alios auctores inspexerit. Paulo aliter statuentem Heerenium vide de font. et auctor. vitt. paral. Plut. p. 79—86. Agidis III. enim breve regnum, ab anno 243 a. C. n. usque ad 237, incidit in medias Phylarchi historias, et aegre mihi persuadeo Aratum in commentariis

suis pueritiam et vitam Agidis, res civiles et internas Spartae tam copiose tractasse, ut Plutarchus inde multum sumere potuerit. Idem valet de Batone Sinopense, cujus liber qualis fuerit plane ignoramus. Equidem ita potius statuo, Phylarchum, cujus indoli Agidis historia acceptissimum erat argumentum, ita a Plutarcho in partes vocatum esse ut fortasse uno tantum loco, Ag. 15, Aratum et Batonem consuluerit. Apud Polybium de Agide nihil legitur. Et extremam vitae Agidis partem e solo Phylarcho petitam esse Heerenius ipse p. 82. censet, cujus verba quamquam iniquiora in Phylarchum appono: *ex Phylarcho vero petita esse quae de ultimis Agidis fatis enarrat, admodum probabile videtur. . . . Vix in omnibus Plutarchi vitis narrationem invenies tam tragice exornatam quam illam de Agide ejusque familiae interitu; ut fere suspicio subeat animum, cum plura occurrant, quae quomodo scriptor ea rescire potuerit, haud facile dixeris, eam ex parte saltem confictam esse. Accedit ad haec, longe aliam narrationem de Agidis interitu nobis servatam esse apud Pausaniam, ubi in proelio cum Achaeis occubuisse dicitur. Quidquid sit, narrationem de Agidis nece apud Plutarchum redolere Phylarchi ingenium, non amplius dubitabis, si eam de Cleomenis morte legeris, quam ex Phylarcho petitam esse mox infra monebimus.* Pausanias nar-

rationi VIII. p. 472. contra Phylarchum fides constare nequit, cf. Manso l. l. III, 2. p. 123., et probabile est Pausaniam Agidem III. confudisse cum Agide II., prope Megalopolin caeso, Plutarch. Agis. 3, Lucas l. l. p. 83. nota 2. Eadem ratio obtinet in vita Cleomenis. Omnia Phylarchi sunt quocum Plutarchus et Aratum et Polybium contulit in iis, quae uterque pro instituto suo attigerat. Recte enim, certe ex parte, Heerenius p. 85.: *non tamen ubivis comparationem cum Polybio instituere potuit Plutarchus, cum multa a Phylarcho tradita sint quae Polybius omiserat, vel copiosius enarrata quae Polybius pro ratione operis sui breviter tantum attigerat; quare si vel maxime fundum narrationis apud Plutarchum constituerint Polybii tradita, multa ex Phylarcho suppleta esse existimo; Polybium vero si dixeris, idem fere est ac si Aratum; si quidem ipse Polybius se in hisce rebus enarrandis Arati maxime vestigia pressisse ipse testatur. Ad utrumque vero Plutarchus in Cleomene provocat; bis scilicet ad Polybium, saepius vero ad Aratum.* Falli in his Heerenium Plutarchum Polybianas historias maxime sequi facientem docet instituta comparatio inter Polybium et Phylarchum, nec Plutarchum Arateis commentariis fundamento usum esse inde patet, quod cum favore quodam et gratia, certe cum summa aequitate res Cleomenis persequitur. Consu-

luit Plutarchus et Aratum et Polybium, Cleom. 16. 17. 19. 25. 27.; at vero si ab his locis discesseris (Sphaeri Borysthenitae libros περὶ τῆς Λακωνικῆς πολιτείας haud ita multum suppeditasse crediderim, Heeren. l. l.) non dubito quin reliqua soli Phylarcho innitantur, cf. fr. XXXIV. XXXV. LVIII. In describenda pugna ad Sellasiam Plutarchus 28 adeo Polybio rejecto Phylarchum sequitur, cf. Lucas l. l. p. 75., et omnia quae hanc excipiunt Phylarchea esse clarissime evincunt supra p. XLVI. composita verba Plutarchi et Trogi Pompeji et p. XXXIV sq. notata dissensio inter Polybium et Plutarchum. Quare non sine idonea causa haec omnia inter fragmenta Phylarchi posita aliquis velit. Contra se habet in vita Arati. Ipsius Arati commentarii fundamentum sunt, quibuscum Plutarchus Polybium semel dissentientem, cf. supra p. XXX. et fr. LIX., contulit et Phylarchum. Sed Plutarchus non praejudicata opinione ductus in universum minus honorifice sentit de Arati commentariis quam Polybius, qui II, 4. eos λίαν ἀληθινοὺς καὶ σαφεῖς dicit, quamquam ejusdem libri cap. 47. Aratum *plura quae clam egerit consulto omisisse* confitetur. Cf. Plutarch. Arat. 3. Cleom. 16. et Lucam l. l. p. 73 sq. Aequissimum igitur in vita Arati Plutarchus se praebuit erga Phylarchum, quem quidem semel tantum laudavit, sed ubi Aratus studio et amore sui et Achaeorum et in-

festo animo in adversarios eorum se abripi passus erat, e Phylarcho, licet suppresso ejus nomine, supplet quae necessaria videbantur, cf. 32. 33. 37—41. 44. 45. — Minus recte Phylarchum inter scriptores poni quibus auctoribus Plutarchus in vita Demetrii Poliorcetis usus sit p. XLVIII. jam dixi, sed versatissimum fuisse Plutarchum in scriptis Phylarchi ostendunt et multa quae inde apposito ejus nomine sumsit, et alia quae non apposito nomine eidem vindicari debent. Et satis iniqua sors memoriam Phylarchi supprimere studuit, cum alii historici quos eum secutos esse admodum probabile est, et ipsi perierint, velut Diodorus Siculus inde a libro XXI. Reliquos scriptores qui e Phylarcheis fontibus rivulos deduxerint vide in collectione fragmentorum, quibus hic adjungere placet tabulam eorum locorum quos e Phylarcho non nominato petitos esse fragmenta ejus arguunt:

Aelianus

de nat. animal.	VI, 44.,	vide	fragm.	XXXI.
	XI, 14.,	-	-	XXXVII.
	XVI, 36.,	-	-	ibid.
var. histor.	IX, 3.,	-	-	XLII.
	XI, 41.,	-	-	VII.
	XII, 43.,	-	-	XLIV.

Plutarchus

Alexand. M. 40.,	vide fragm.	XLII.
Demetr. Pol. 25.,	- -	VI. XXIX.
Conviv. VII. cap. 2. p. 5.,	- -	XLV.
Praecepta conj. p. 418.,	- -	XVIII.

Polyaenus

strategemat. IV, 3, 24.,	vide fragm.	XLII.
IV, 6, 3.,	- -	XXXVII.
VIII, 6.	- -	XXX.

Jam cum ad finem huic scriptioni positum pervenerimus, omnes mecum consentient gravissimum nos damnum fecisse deperditis Phylarchi libris. Periit enim tantum non unicus rerum per quinquaginta illos annos in tota orientali orbis terrarum parte gestarum testis, si a Polybio qui paucas praeter Achaicas attigit discesseris, et quae per nebulam quasi de rebus Aetolicis, Pergamenis, Galaticis, Syriacis, Aegyptiacis, Cyrenaicis illius temporis a Trogo Pompejo relata audimus, exiguae Phylarchei operis particulae sunt. E quibusnam fontibus Phylarchus ipse sua hauserit nescire nos nec conjectura assequi posse vel me non monente patet; hoc unum addere licet, quod parti rerum a se narratarum aequalis fuerit. Nec quo tempore Phylarchi historiae ex oculis et manibus hominum abierint accurate indicare possumus; tertio p. C. n. saeculo adhuc lectas esse testantur

Aelianus et Porphyrius, sexto J. Laurentius Lydus, grammaticos et lexicographos infimi temporis integris historiis usos esse vix credam. — In collectione fragmentorum secrevi quae addito numero libri et quae sine nota libri laudantur, hic ut conspectum quasi totius operis faciliorem reddam, tabulam propono, in qua omnia fragmenta, quae notam libri habent aut argumento certum temporis indicium praebent, conjunctim ordinata sunt. Quae annum 272 a. C. n. praecedunt et a Phylarcho κατὰ παρέκβασιν tractata videntur asterisco notavi. Probabile est, libros XII—XIV. historiam Syriae et finitimarum regionum usque ad mortem Seleuci Callinici, XV. et proxime sequentes Agidis III. historiam, XXV—XXVIII. bellum Cleomenicum complexos esse.

Liber	Ol. CXXVII,1. a. C. n.	
I	272	Pyrrhi expeditio in Peloponnesum. De Chilonide. De Pyrrhi aquila XLVII—XLIX.
III	270	Patroclus cum classe Aegyptiaca Antigonum Gonatam aggreditur. Ariamnes Galatarum ditissimus II. *De Milonis vomeitate III.
IV		Syagrus Aetolorum praetor IV. Prodigia V.
VI	262	Antiochus II. Deus vinolentus VII. —

Liber	a. C. n.	
		Alexander Pyrrhi veneno moritur; de malo Cydonio alexipharmaco; de faba Aegyptiaca in Epiro crescente VIII. IX. L. — De Byzantiorum et Galatarum moribus X. XI. — *Demetrius Poliorcetes dicax VI.
VII		De corona vitiosa XII. — Theodorus Larissaeus, Antigoni Gonatae inimicus, semper aquam bibit ut Ibores XIII. *De Cyrenarum conditoribus XIV. XV.
VIII		De fonte prope sinum Arabicum XVI.
IX		De Aesculapio XVII.
X		Isanthes Thracum rex XIX. — *De Pantica XVIII. et Demetrio Poliorcete risus amanti.
XI		*De Demarato Lacedaemonio XXI. et de Curetibus postea Acarnanibus dictis ab Acarnane et de Eriphyles monili XXII. LX.
XII	247	Laodice marito Antiocho II. sublato Danaen interficit XXIII. — De Graecis soli mel libantibus, de Coerano Milesio, de aspide Aegyptiaca XXIV —XXVII.
XIII		Athenienses Lemnum incolentes adulantur regibus Syriae XXVIII.

Liber	a. C. n.	
XIV	Ol. CXXXVIII?	Mysta, Seleuci Callinici amica a Galatis capta XXX. Antiochus Hierax a Galatis occisus XXXI.
	228	Zielas Bithyniae rex a Galatis occisus XXXII. — *Demetrius Poliorcetes adulatoribus aurem praebet XXIX.
XV		De Lacedaemoniis mollitiei deditis XXXIII.
	243	Agis III. consilia capit restituendae disciplinae Lycurgeae provocans ad Daphnes sive Pasiphaae oracula XXXIV.
XVII		De templo Saturni XXXV.
XIX		*De Timosa XXXVI.
XX	236	Cleomenis III. initia XXXIII. — De elephanti erga infantem amore XXXVII.
XXI		*Sandrocottus Seleuco I. dona mittit XXXVIII. De Philippo Amyntae et Arcadione XXXIX. et Paralo heroe XL.
XXII		Ptolemaeus II. Philadelphus luxuriosus XLI.
XXIII		*De luxu amicorum Alexandri M. XLII. et de disciplina Ceorum XLIII.

FRAGMENTA HISTORICA

cum nota libri I—XLVI., sine nota libri XLVII—LXXVIII.; mythologica LXXIX—LXXXIII.

FRAGMENTA HISTORICA

cum nota libri I — XLVI., sine nota libri XLVII — LXXVIII.; mythologica LXXIX — LXXXIII.

τὸν Γαλάτην πλουσιώτατον ὄντα ἐπαγγείλασθαι ἑστιᾶσαι Γαλάτας πάντας ἐνιαυτὸν, καὶ τοῦτο συντελέσαι ποιήσαντα οὕτως· κατὰ τόπους τῆς χώρας τὰς ἐπικαιροτάτας τῶν ὁδῶν διέλαβε σταθμοῖς, ἐπί τε τούτοις ἐκ χαράκων καὶ τῶν καλάμων τῶν τε οἰσυΐνων ἐπεβάλλετο σκηνὰς χωρούσας ἀνὰ τετρακοσίους ἄνδρας καὶ πλείους ἔτι, καθὼς ἂν ἐκποιῶσιν οἱ τόποι τό τ' ἀπὸ τῶν πόλεων δέξασθαι καὶ τῶν κωμῶν μέλλον ἐπιῤῥεῖν πλῆθος· ἐνταῦθα δὲ λέβητας ἐπέστησε κρεῶν παντοδαπῶν μεγάλους, οὓς πρὸ ἐνιαυτοῦ καὶ πρὸ τοῦ μέλλειν μεταπεμψάμενος τεχνίτας ἐξ ἄλλων πόλεων ἐχαλκεύσατο· θύματα δὲ καταβάλλεσθαι ταύρων καὶ συῶν καὶ προβάτων τε καὶ λοιπῶν κτηνῶν ἑκάστης ἡμέρας πολλά, πίθους τε οἴνου παρεσκευάσθαι καὶ πλῆθος ἀλφίτων πεφυραμένων· καὶ οὐ μόνον, φησὶν, οἱ παραγινόμενοι τῶν Γαλατῶν ἀπὸ τῶν κωμῶν καὶ τῶν πόλεων ἀπέλαυον, ἀλλὰ καὶ οἱ παριόντες ξένοι ὑπὸ τῶν ἐφεστηκότων παίδων οὐκ ἠφίεντο, ἕως ἂν μεταλάβωσι τῶν παρασκευασθέντων.

BPU ἐπαγγείλασθαι. L ἀπαγγείλ. — CUL τάς. ABP καὶ τάς. — PUL καὶ τῶν καλάμων. Bom. τῶν. — B. ἐπεβάλετο. — B. παρεσκευάσθαι. UL παρασκευάσασθαι. — B πεφυρμένων. — Scribebatur ἀπήλαυον. B ἀπήλαυνον. Hoeschelius adscripsit ἀπέλαβον.

Pauca verba ex Athenaeo habet Eustath. ad Odyss. 1533, 56. ἐκ τῶν καλάμων — τετρακοσίους

ἄνδρας. — Cf. fragm. XI. Γαλάται Phylarchi non sunt incolae Galliarum proprie sic dictarum, quae est Sevini sententia, sed Galatiae orientalis, cf. fr. XXX—XXXII. Ariamnis et nostri loci, ni fallor, Wernsdorffius in libro suo de republ. Galat. immemor fuit.

III.

Athenaeus X, 4, p. 412 f.

Φύλαρχος δέ φησιν ἐν τῇ τρίτῃ τῶν ἱστοριῶν τὸν Μίλωνα ταῦρον καταφαγεῖν κατακλιθέντα πρὸ τοῦ βωμοῦ τοῦ Διός· διὸ καὶ ποιῆσαι εἰς αὐτὸν Δωριέα τὸν ποιητὴν τάδε

Τοῖος ἔην Μίλων, ὅτ' ἀπὸ χθονὸς ἤρατο βρῖθος.
τετραετῆ δαμάλην, ἐν Διὸς εἰλαπίναις,
ὤμοις δὲ κτῆνος τὸ πελώριον ὡς νέον ἄρνα
ἤνεγκεν δι' ὅλης κοῦφα πανηγύρεως.
καὶ θάμβος μὲν, ἀτὰρ τοῦδε πλέον ἤνυσε θαῦμα
πρόσθεν Πισαίου, ξεῖνε, θυηπολίου.
ὃν γὰρ ἐπόμπευσεν βοῦν ἄζυγον, εἰς κρέα τόνδε
κόψας, πάντα κατ' οὖν μοῦνος ἐδαίσατό νιν.

AB *κατακλιθέντα*. P *κατακλισθέντα*. UL *κατακλεισθέντα*. — U. 2. AB *δαμάλην*. PUL *δάμαλιν*. U. 3. B *τε*.

De Milonis et aliorum voracitate plura narrat Athenaeus l. l. Doriei epigramma receptum est in

Antholog. Palat. vol. II. p. 760, cujus duo postremos versus habet Eustath. ad Odyss. p. 1523, 9. De θυηπολίου Schweighaeuserus: nusquam alibi, quod sciam, reperitur vocabulum τὸ θυηπόλιον; ἡ θυηπολία habes apud Pollucem 1, 29. et in Analect. Brunckii T. II, p. 107. num. 1.

E LIBRO IV.

IV.

Athenaeus VIII, 6. p. 333 a.

Καὶ Φύλαρχος δ' ἐν τετάρτῃ ἑορακέναι τινάς πολλαχοῦ τὸν θεὸν ὕσαντα ἰχθύσι, πολλάκις δὲ καὶ πυροῖς, τοῦ αὐτοῦ συμβαίνοντος καὶ ἐπὶ βατράχων.

B τινά.

Talium prodigiorum mentio saepissime fit apud historicos; de ranis conferas Heraclidem Lembum apud Athen. et Appiani Illyr. 4.

V.

Athenaeus IX, 64, p. 401 d.

Καὶ Αἰτωλῶν δὲ οἶδα στρατηγὸν Σύαγρον, οὗ μνημονεύει Φύλαρχος ἐν τετάρτῃ ἱστοριῶν.

E LIBRO VI.

VI.

Athenaeus XIV, 3, p. 614 e.

Φιλογέλως δ' ἦν καὶ Δημήτριος ὁ Πολιορκητής, ὥς φησι Φύλαρχος ἐν τῇ ἕκτῃ τῶν ἱστοριῶν· ὅς γε καὶ τὴν Λυσιμάχου αὐλὴν κωμικῆς σκηνῆς οὐδὲν διαφέρειν ἔλεγεν· ἐξιέναι γὰρ ἀπ' αὐτῆς πάντας δισυλλάβους· (τόν τε Βίθυν χλευάζων καὶ τὸν Πάριν, μεγίστους ὄντας παρὰ τῷ Λυσιμάχῳ, καί τινας ἑτέρους τῶν φίλων·) παρὰ δ' αὐτοῦ Πευκέστας καὶ Μενελάους, ἔτι δὲ Ὀξυθέμιδας· ταῦτα δ' ἀκούων ὁ Λυσίμαχος, Ἐγὼ τοίνυν, ἔφη, πόρνην ἐκ τραγικῆς σκηνῆς οὐχ ἑόρακα ἐξιοῦσαν· τὴν αὐλητρίδα Λάμιαν λέγων. ἀπαγγελθέντος δὲ καὶ τούτου, πάλιν ὑπολαβὼν ὁ Δημήτριος ἔφη, Ἀλλ' ἡ παρ' ἐμοῦ πόρνη σωφρονέστερον τῆς παρ' ἐκείνῳ Πενελόπης ζῇ.

Eadem e Phylarcho sumsit et in brevius coacta exhibuit Plutarchus in Demetrio 25. conf. fragm. XX. XXIX. Bithyis et Oxythemidis mentionem facit Athen. VI, 49 et 62. p. 246 d. 253 a., Diodorus Sic. Exc. XXI, 11. 12. p. 491. 492., Lamiae Plutarch. Demetr. 19. 24. 27., Athen. IV, 1. p. 128 b., XIII, 38 sq. p. 577 c. De *δισυλλάβοις* Lysimachi amicis Casaubonus haec adscripsit: servorum apud Graecos nomina vel unius syllabae fuerunt, ut Mus, servus

Epicuri, estque verbum vetus, πᾶς δοῦλος δεσπότῃ μονοσύλλαβος, vel duarum ut Davus, Geta, Manes, Stichus, Mysus, Dromo et similia his. Per servos autem pleraque in comoediis administrantur. Contra in tragicam scenam reges ut plurimum et proceres prodeunt. Tragoedia enim non fit nisi de principibus, neque tragoediae argumentum ingrediuntur meretrices, sine quibus nulla fere Plauti nec Terentii comoedia, neque veterum Graecorum τῆς νέας κωμῳδίας, quos Latini sunt imitati. Quibus Schweighaeuserus addit, Penelopen pro uxore in universum dixisse Demetrium, cum Lysimachi uxor Arsinoe fuerit, Athen. XIV, 6. p. 616 c.

VII.

Athenaeus X, 51, p. 438 c.

Φύλαρχος δὲ ἐν τῇ ἕκτῃ τῶν ἱστοριῶν Ἀντίοχόν φησι τὸν βασιλέα φίλοινον γενόμενον μεθύσκεσθαί τε καὶ κοιμᾶσθαι ἐπὶ πλέον, εἶθ' ἑσπέρας πάλιν ἀφυπνιζόμενον ἐπιπίνειν. ἐχρημάτιζέ τε, φησί, νήφων μὲν βραχέα τελέως, μεθύων δὲ τὰ πολλά. διο περὶ αὐτὸν δύο ἦσαν οἱ διοικοῦντες τὴν βασιλείαν, Ἄριστος καὶ Θεμίσων, Κύπριοι μὲν γένος καὶ ἀδελφοί, ἐρώμενοι δὲ ἀμφότεροι τοῦ Ἀντιόχου.

Ex Athenaeo Aelianus O. H. II, 41. haec in scrinia sua transtulit. Schweighaeusero Antiochus

primus, qui Soter cognominatus est, designari videtur. De Themisone ridicula narrat Athen. VII, 35. p. 289 f. e Pythermo historico; alium Themisonem, Antiochi Magni praefectum equitum, novi e Polybio V, 79. 82. Niebuhrius Opuscul. p. 268, Antiochum II. Deum notari censet.

VIII.

Athenaeus VI, 58, p. 251 c.

Φύλαρχος δὲ ἐν ἕκτῳ ἱστοριῶν Νικησίαν φησὶ τὸν Ἀλεξάνδρου κόλακα θεασάμενον τὸν βασιλέα σπαρασσόμενον ὑφ᾽ οὗ εἰλήφει φαρμάκου εἰπεῖν, Ὦ βασιλεῦ, τί δεῖ ποιεῖν ἡμᾶς, ὅτε καὶ ὑμεῖς οἱ θεοὶ τοιαῦτα πάσχετε; καὶ τὸν Ἀλέξανδρον μόλις ἀναβλέψαντα, ποῖοι θεοί; φῆσαι· φοβοῦμαι μὴ τοῖς θεοῖσιν ἐχθροί.

Νικησίαν. C νικητᾶν. — μὴ τοῖς. A μή τοι. — θεοῖσιν. C θεοῖς. Fortasse tragici verba sunt φοβοῦμαι μὴ τοῖς θεοῖσιν ἐχθροί. G. Dindorf.

Est Alexander, Epiri rex, Pyrrhi e Lanasse filius, Plutarch. Pyrrh. 9. Justin. XVIII, 1. cf. fragm. L. Qui de ejus rebus egit, Justinus XXVI, 2 et 3. XXVIII, 1. non certis quidem verbis veneno interemtum prodidit, sed fidem faciunt Phylarcho verba: *Olympias, Pyrrhi, Epirotae regis, filia, omisso marito eodemque germano fratre Alexandro.* De

FRAGMENTA HISTORICA

cum nota libri I — XLVI., sine nota libri XLVII — LXXVIII.; mythologica LXXIX — LXXXIII.

X.

Athenaeus X, 59, p. 442 c.

Φύλαρχος ἐν ἕκτῃ Βυζαντίους, οἰνόφλυγας ὄντας, ἐν τοῖς καπηλείοις οἰκεῖν, ἐκμισθώσαντας τοὺς ἑαυτῶν θαλάμους μετὰ τῶν γυναικῶν τοῖς ξένοις· πολεμίας σάλπιγγος οὐδ' ἐν ὕπνοις ὑπομένοντας ἀκοῦσαι.

ὑπομένοντας. BP ὑπομένοντες.

Eustathius ad Iliad. p. 1242, 40.

Μνηστέον δ' ἐν τούτοις καὶ ὅτι *Φύλαρχος* ἔσκωψέ τινα ὡς ἀπόλεμον, εἰπὼν παροιμιωδῶς τὸ πολεμίας σάλπιγγος οὐδ' ἐν ὕπνοις ὑπομένων ἀκοῦσαι.

Cum Eustathius non ipsis Phylarchi historiis usus sit, sed quae e Phylarcho profert omnia ex Athenaeo hauserit, cf. locos in indice notatos, nemo dubitabit, quin ex Athenaei loco, qui memoriae obversabatur, proverbium sibi finxerit. Luxuriam Byzantiorum multis historicorum testimoniis Athenaeus probat, cf. XII, 32. p. 526 e., et contulisse juvabit quae Polybius IV, 38. 44 sq. et Strabo VI, 6. de situ et commercio hujus emporii scripserunt.

XI.

Athenaeus IV, 34. p. 150 d.

Παρὰ δὲ Γαλάταις φησὶ *Φύλαρχος* ἐν τῇ

ἕκτῃ ἐν ταῖς τραπέζαις ἄρτους πολλοὺς κατακεκλασμένους παρατίθεσθαι χύδην καὶ κρέα ἐκ τῶν λεβήτων, ὧν οὐδεὶς γεύεται, ἢν μὴ πρότερον θεάσηται τὸν βασιλέα, εἰ ἥψατο τῶν παρακειμένων.

B κρέα alii κρέατα. — P γεύηται. — ἢν μὴ ex emendatione Dindorfii pro εἰ μή.

Cf. fragm. II.

E LIBRO VII.

XII.

Athenaeus XV, 15. p. 673 f.

Μόνον γὰρ τοῦτ' ἴδιον εἴρηκεν (ὁ Ἡφαιστίων) ὅτι Φύλαρχος ἐν τῇ ἑβδόμῃ τῶν ἱστοριῶν οἶδε τὴν κατὰ λόγον ἱστορίαν, καὶ ὅτι οὔτε τὰ Νικαινέτου οἶδεν οὔτε τὰ Ἀνακρέοντος ὁ συγγραφεύς· ἀπέδειξέ τε καὶ διαφωνοῦντα αὐτὸν κατ' ἔνια τῶν ἱστορηθέντων παρὰ τῷ Μηνοδότῳ.

De corona viticea, Hephaestione, Nicaeneto et Menodoto consulendus est Athenaeus inde a pag. 671 e. E veteri memoria ibi repetitur, qui factum sit, ut vitices sive salices Amerinae ad coronas nectendas adhiberentur. Anacreontis versus quaeras in editione Fischeri p. 343.

XIII.

Constantinus Porphyrogen. de administr. imperio (in Banduri Imper. orientale p. 77 f.)

Λέγονται οἱ Ἴβηρες ὑδροποτεῖν, ὡς Ἀθήναιος ἐν δειπνοσοφιστῶν δευτέρῳ οὕτω· Φύλαρχος μὲν ἐν τῇ ἑβδόμῃ καὶ τοὺς Ἴβηράς φησιν ὑδροποτεῖν πάντας, καίτοι πλουσιωτάτους πάντων ἀνθρώπων τυγχάνοντας· κέκτηνται γὰρ ἄργυρον καὶ χρυσὸν πλεῖστον. μονοσιτεῖν τε αὐτοὺς ἀεὶ λέγει διὰ μικρολογίαν, ἐσθῆτάς τε φορεῖν πολυτελεστάτας.

Athenaeus II, 21. p. 44 c.

Ὅτι Φύλαρχός φησι Θεόδωρον τὸν Λαρισσαῖον ὑδροπότην γενέσθαι, τὸν ἀλλοτρίως ἀεί ποτε πρὸς Ἀντίγονον ἐσχηκότα τὸν βασιλέα· φησὶ δὲ καὶ τοὺς Ἴβηρας πάντας ὑδροποτεῖν, καίτοι πλουσιωτάτους ἀνθρώπων ὄντας. μονοσιτεῖν τε αὐτοὺς ἀεὶ λέγει διὰ μικρολογίαν ἐσθῆτάς τε φορεῖν πολυτελεστάτας.

BCD *ἐσθῆτας τε.* **UL** *ἐσθῆτας δέ.*

Dindorfius laudat Stephanum in *Ἰβηρίαι, φασὶ δ' αὐτοὺς ὑδροποτεῖν, ὡς Ἀθήναιος ἐν δειπνοσοφιστῶν δευτέρῳ· καὶ μονοσιτοῦσι διὰ μικρολογίαν, καὶ ἐσθῆσι κέχρηνται πολυτελεστάταις, ὡς πλουσιώτατοι,* **additque:** ***quae apud Constantinum Porphyr. de administr. imp. cap. 23., integro Stephani libro usum, sic scripta sunt,*** *λέγονται οἱ Ἴβηρες ὑδροποτεῖν, ὡς*

Ἀθήναιος ἐν δειπνοσοφιστῶν β' οὕτω· καὶ τοὺς Ἴβηρας φησιν κ. τ. λ. Omisit igitur quae apud Constantinum leguntur *Φύλαρχος μὲν ἐν τῇ ζ'*, ex quibus colligimus, Constantinum potius integriore *Athenaeo* quam nos usum esse. — Inter plurimos Theodoros, quorum apud veteres mentio fit, Larissaeum non invenio. Antigonus rex fuerit Gonatas, quem cum philosophis, quorum e numero Theodorum fuisse puto, versatum esse e Diogene Laertio constat, cf. Baehr ad Plutarchi Pyrrh. 26.; adde, quod septimus Phylarchi liber sit.

XIV.

Schol. Apollonii Rhod. Argonaut. IV, 1561.

Εὐρύπυλος, Ποσειδῶνος υἱὸς καὶ Κελαινοῦς τῆς Ἄτλαντος, βασιλεὺς δὲ Κυρήνης. Φύλαρχος δὲ ἐν ἑβδόμῳ Εὔρυτον αὐτὸν καλεῖ, καὶ ἀδελφὸν αὐτοῦ ἀναγράφει Λυκάονα. Ἀκέσανδρος δὲ ἐν πρώτῳ περὶ Κυρήνης [τῆς Ὑψέως] μετ' αὐτὸν βασιλεῦσαί φησι Λιβύης Κυρήνην τὴν Ὑψέως.

XV.

Schol. Apollon. Rhod. Argonaut. II, 498.

Ἀκέστωρ δὲ ἐν τοῖς περὶ Κυρήνης ἱστορεῖ, ὡς ἐπ' Εὐρυπύλου βασιλεύοντος Λιβύης ὑπὸ Ἀπόλλωνος διακομισθείη ἐς Λιβύην ἡ Κυρήνη· λέοντος δὲ τὴν

χώραν λυμαινομένου προθείη τὴν βασιλείαν ὁ Εὐρύπυλος ἆθλον τῷ ἀποκτενοῦντι τὸν λέοντα. Τὴν δὲ διαχρήσασθαι αὐτὸν καὶ τὴν βασιλείαν λαβεῖν, παῖδας δὲ αὐτῆς γενέσθαι Αὐτοῦχον καὶ Ἀρισταῖον. Φησὶ δὲ αὐτὴν Φύλαρχος ἐλθεῖν μετὰ πλειόνων εἰς Λιβύην· τούτων δὲ ἐκπεμφθέντων ἐπὶ τὴν κυνηγεσίαν, τούτοις καὶ αὐτὴν συνεξελθεῖν κἀκεῖ ἀνελεῖν τὸν λέοντα καὶ λαβεῖν τὴν βασιλείαν. ἐγέννησε δὲ ἐξ Ἀπόλλωνος παῖδας δύο, Αὐτοῦχον καὶ Ἀρισταῖον. [Αὐτοῦχος μὲν ἐν Λιβύῃ ἔμεινεν, Ἀρισταῖος δὲ ἀφίκετο εἰς Κέω.]

Cf. alia, quae habet scholiastes et Justinus XIII, 7. ibique Duebnerus.

E LIBRO VIII.

XVI.

Apollonii Dyscoli histor. commentic. 14.

Φύλαρχος ἐν τῇ ὀγδόῃ τῶν ἱστοριῶν καὶ κατὰ τὸν Ἀράβιόν φησι κόλπον πηγὴν εἶναι ὕδατος, ἐξ οὗ εἴ τις τοὺς πόδας χρίσειεν, συμβαίνειν εὐθέως ἐκτείνεσθαι ἐπὶ πολὺ τὸ αἰδοῖον, καί τινων μηδ' ὅλως συστέλλεσθαι, τινῶν δὲ μετὰ μεγάλης κακοπαθείας καὶ θεραπείας ἀποκαθίστασθαι.

Cf. fragm. XXXVIII.

E LIBRO IX.

XVII.

Sextus Empir. adv. mathem. I, 12. p. 271 Fabric.

Οἷον (οὐκ ἄτοπον γὰρ ἵνα συμφυέσι τε καὶ οἰκείοις χρησώμεθα τῶν πραγμάτων παραδείγμασιν) ὑπόθεσιν γὰρ ἑαυτοῖς ψευδῆ λαμβάνοντες οἱ ἱστορικοί, τὸν ἀρχηγὸν ἡμῶν τῆς ἐπιστήμης Ἀσκληπιὸν κεκεραυνῶσθαι λέγουσιν, οὐκ ἀρκούμενοι τῷ ψεύσματι, ἐν ᾧ καὶ ποικίλως αὐτὸ μεταπλάττουσιν· Στησίχορος μὲν ἐν Ἐριφύλῃ εἰπών, ὅτι τινὰς τῶν ἐπὶ Θήβαις πεσόντων ἀνιστᾷ· Πολύανθος δὲ ὁ Κυρηναῖος ἐν τῷ περὶ τῆς τῶν Ἀσκληπιαδῶν γενέσεως, ὅτι τὰς Προίτου θυγατέρας κατὰ χόλον Ἥρας ἐμμανεῖς γενομένας ἰάσατο· Πανύασις δὲ διὰ τὸ νεκρὸν Τυνδάρεω ἀναστῆσαι· Στάφυλος δὲ ἐν τῷ περὶ Ἀρκάδων, ὅτι Ἱππόλυτον ἐθεράπευσε φεύγοντα ἐκ Τροιζῆνος, κατὰ τὰς παραδεδομένας κατ' αὐτοῦ ἐν τοῖς τραγῳδουμένοις φήμας· Φύλαρχος δὲ ἐν τῇ ἐννάτῃ διὰ τὸ τοὺς φινέως υἱοὺς τυφλωθέντας ἀποκαταστῆσαι, χαριζόμενον αὐτῶν τῇ μητρὶ Κλεοπάτρᾳ τῇ Ἐρεχθέως· Τελέσαρχος δὲ ἐν τῷ Ἀργολικῷ, ὅτι τὸν Ὠρίωνα ἐπεβάλετο ἀναστῆσαι.

Schol. Euripid. Alcest. 1.

Ἀπολλόδωρος δέ φησι κεραυνωθῆναι τὸν Ἀσκληπιὸν ἐπὶ τῷ τὸν Ἱππόλυτον ἀναστῆσαι, Ἀμελησάγορας

δὲ ὅτι Γλαῦκον, Πανύασις ὅτι Τυνδάρεων, οἱ δὲ Ὀρφικοὶ ὅτι Ὑμέναιον, Στησίχορος δὲ ἐπὶ Καπανεῖ καὶ Λυκούργῳ. Φερεκύδης ἐν τῇ ἱστορίᾳ τοὺς ἐν Δελφοῖς φησι θνήσκοντας αὐτὸν ἀναβιώσκειν· Φύλαρχος δὲ διὰ τοὺς Φινείδας, Τελέσαρχος δὲ δι' Ὠρίωνα· Πολύαρχος δὲ ὁ Κορηναῖος διὰ τὸ τὰς Προίτου θυγατέρας αὐτὸν ἰάσασθαι κεραυνωθῆναί φησιν.

Schol. Pindari Pyth. III, 96.

Λέγεται δὲ ὁ Ἀσκληπιὸς χρυσῷ δελεασθεὶς ἀναστῆσαι Ἱππόλυτον τεθνηκότα· οἱ δὲ Τυνδάρεων, ἕτεροι Καπανέα, οἱ δὲ Γλαῦκον, οἱ δὲ Ὀρφικοὶ Ὑμέναιον, Στησίχορος δὲ ἐπὶ Καπανεῖ καὶ Λυκούργῳ· οἱ δὲ διὰ τὸ τὰς Προιτίδας ἰάσασθαι, οἱ δὲ διὰ τὸν Ὠρίωνα, Φύλαρχος ὅτι τοὺς Φινείδας ἰάσατο, Φερεκύδης δὲ ὅτι τοὺς ἐν Δελφοῖς θνήσκοντας ἀναβιοῦν ἐποίησεν.

De Phinei filiis ab ipso patre occoecatis, quorum nomina et res alii aliter narrant, cf. Apollodorus III, 15, 3., Schol. Apollon. Rhod. II, 178. et quos laudat Wex ad Sophocl. Antig. 155. — Utrum Sexti *Polyanthus* e schol. Eurip., an scholiastae *Polyarchus* e Sexto corrigendus sit, jam Vossius de hist. Gr. lib. III. p. 405. dubitavit.

E LIBRO X.

XVIII.

Athenaeus XIII, 89. p. 609 b.

Καλλίστη δ' ἦν καὶ Παντίκα ἡ Κυπρία, περὶ ἧς φησι Φύλαρχος ἐν τῇ δεκάτῃ τῶν ἱστοριῶν ὅτι παρ' Ὀλυμπιάδι οὔσῃ τῇ Ἀλεξάνδρου μητρὶ ἤτει πρὸς γάμον Μόνιμος ὁ Πυθίωνος. καὶ ἐπεὶ ἦν ἀκόλαστος ἡ γυνὴ, ἔφη ἡ Ὀλυμπιάς „Ὦ πόνηρε, τοῖς ὀφθαλμοῖς γαμεῖς, καὶ οὐ τῷ νῷ."

Παντίκα. B *παντοίκα.*

Eadem omissis Panticae et Monimi nominibus vide in Plutarchi Praecept. conjug. T. VII. p. 418 Hutten. Sequuntur apud Athanaeum haec: *καὶ τὴν κατάγουσαν δὲ Πεισίστρατον ἐπὶ τὴν τυραννίδα ὡς Ἀθηνᾶς Σωτείρας* (ita pro *πείραν* legendum esse conjecit Valckenaer ad Herodot. I, 60.) *εἶδος ἔχουσαν καλήν φησι γεγονέναι, ἥτις καὶ τῇ θεῷ εἴκαστο τὴν μορφήν.* De quibus Schweigh.: „si *φησί* teneas, quod libri habent, referendum id ad Phylarchum auctorem fuerit. At mihi non dubium videbatur, *φασί* scripsisse Athenaeum. Verbi frequenter autem ista inter se permutata videas, ut liberum fere editori esse debeat, alterutrum seligere, quod commodissimum videatur." Argumenti certe ratione habita equidem haec Phylarcho tribui nolim. Et multa apud

Athenaeum turbata esse videntur. Narrat enim in proxime sequentibus Clidemo auctore, Pisistratum hanc mulierem Hipparcho filio in matrimonium dedisse, additque: ἐξέδωκε δὲ καὶ Ἱππάρχῳ τῷ υἱεῖ τὴν παραιβατήσασαν γυναῖκα φύην, quasi haec diversa sit ab illa.

XIX.

Athenaeus XII, 51. p. 536 d.

Φύλαρχος δ' ἐν τῇ δεκάτῃ τῶν ἱστοριῶν Θρᾳκῶν φησι τῶν καλουμένων Κροβύζων βασιλέα γενέσθαι Ἰσάνθην, τρυφῇ πάντας τοὺς καθ' ἑαυτὸν ὑπερβαλλόμενον.

De Crobyzis Strabo VII, p. 318 b, et Stephan. Byz. *Schweigh.*

XX.

Athenaeus VI, 78. p. 261 b.

Καὶ Δημήτριος ὁ Πολιορκητὴς φιλόγελως ἦν, ὡς ἱστορεῖ Φύλαρχος ἐν τῇ δεκάτῃ τῶν ἱστοριῶν.

Cf. fragm. VI. — Non sine causa dubites, num sit scribendum τῇ ἕκτῃ, ut lib. XIV. Athenaei, nisi potius eo loco menda est. *Casaub.*

E LIBRO XI.

XXI.

Suidas s. v. τιάρα.

Τιάρα· κόσμος ἐπικεφάλαιος, ἣν οἱ βασιλεῖς μόνοι ὀρθὴν ἐφόρουν παρὰ Πέρσαις, οἱ δὲ στρατηγοὶ κεκλιμένην· καὶ Δημάρατος ὁ Λακεδαιμόνιος, ὃς δὴ μετὰ Ξέρξου ἦλθεν ἐπὶ τὰς Ἀθήνας, ἐπί τινος εὐημερίας συγχωρήσαντος αὐτῷ τοῦ βασιλέως ὃ θέλει αἰτήσασθαι, ᾐτήσατο ἐν ὀρθῇ τῇ τιάρᾳ εἰς Σάρδεις εἰσελάσαι, ὡς Φύλαρχος ἐν ἑνδεκάτῳ· τὸ δ' αὐτό φασιν εἶναι καὶ κίταριν. Θεόφραστος δ' ἐν τῷ περὶ βασιλείας Κυπρίων τὴν κίταριν ὡς διάφορον.

Eadem habet Photius in Lex. s. v. τιάρα, sed ὡς Φύλαρχος ἐν ι. In Kusteriana editione Suidae est Φίλαρχος. — De Demerato plurima habet Herodotus lib. VI. et VII.; de tiara cf. Athen. XII, 8. p. 514 a. ibique Schweigh., Brisson. de regno Pers. 1. sect. 53. et Hesychium s. v. κίδαρις. Arrianus de exped. Alex. III, 25.: ἐν τούτῳ δὲ ἀφικνοῦνται παρ' αὐτὸν Περσῶν τινὲς, οἳ ἤγγελον Βῆσσον τήν τε τιάραν ὀρθὴν ἔχειν καὶ τὴν Περσικὴν στολὴν φοροῦντα, Ἀρταξέρξην τε καλεῖσθαι ἀντὶ Βήσσου, καὶ βασιλέα φάσκειν εἶναι τῆς Ἀσίας.

XXII.

Athenaeus XII, 37. p. 528 c.

Τοὺς δὲ Κουρῆτας Φύλαρχος διὰ τῆς ἑνδεκάτης τῶν ἱστοριῶν Αἰσχύλον ἱστορεῖν διὰ τὴν τρυφὴν τυχεῖν τῆς προσηγορίας·

Χλιδῶν τε πλόκαμος ὥστε παρθένοις ἁβραῖς·
ὅθεν καλεῖν Κουρῆτα λαὸν ἤνεσαν.

Αἰσχ. ἱστορεῖν om. — παρθ. ἁβραῖς. C et Eustath. παρθένου ἁβρᾶς.

De Aetoliae Curetibus hic agitur, quorum nomen qui a mollitiei vel luxuriae quodam genere et praesertim a capitis cultu derivabant, ii (ut Strabo docet X. p. 466 extr. et 467 init.) rursus duplex etymon sequebantur, spectantes alii τὴν θρέψιν τῆς τριχὸς, alii τὴν κουράν; et illi quidem a vocabulo κόρη vel κούρη derivabant id nomen, a comae curae quae *puellis* magis quam viris conveniat, quemadmodum etiam Hesychius ait, Κουρῆτες, οἱ τὸν πλευρῶνα κατοικοῦντες, διὰ τὸ κουρικῶς (i. e. puellarem in modum) ἀναδέσθαι τὰς κόμας. Alteri a vocabulo κουρὰ, a *tonsura*, repetebant eandem denominationem. Aeschylus in appositis versibus prius maxime etymon spectasse videtur, Agathon (apud Athen. l. l.) vero alterum perspicue secutus est. Ceterum de istis Curetibus conf. Eustath. ad Il. β'. p. 213 med. et ad ψ'. p. 1403 init., ubi hunc etiam Athenaei locum ex

epitoma adposuit. *Schweigh.* Cf. Lobeckius Aglaoph. p. 209. 1111 sq. Aeschyli versus ex incerta tragoedia depromtos, vide in Dindorfii poetis scenic. Graec. 310. Cum Curetes ab Acarnane, Alcmaeonis filio, Acarnanes dicti esse ferantur, Pausan. VIII. p. 492, 48, huic libro fabula de Eriphyles monili inserta fuisse videtur, vide fr. LX.

E LIBRO XII.

(Athenaeus XIII, 64. p. 593 b.)

XXIII.

(——)

Δανάην δὲ τὴν Λεοντίου τῆς Ἐπικουρείου θυγατέρα, ἑταιριζομένην καὶ αὐτήν, Σώφρων εἶχεν ὁ ἐπὶ τῆς Ἐφέσου· δι' ἣν αὐτὸς ἐσώθη ἐπιβουλευόμενος ὑπὸ Λαοδίκης, ἡ δὲ κατεκρημνίσθη, ὡς γράφει Φύλαρχος διὰ τῆς δωδεκάτης τάδε: „Ἡ πάρεδρος τῆς Λαοδίκης Δανάη, πιστευομένη ὑπ' αὐτῆς τὰ πάντα, Λεοντίου δὲ οὖσα τῆς μετ' Ἐπικούρου τοῦ φυσικοῦ σχολασάσης θυγάτηρ, Σώφρονος δὲ γεγονυῖα πρότερον ἐρωμένη, παρακολουθοῦσα διότι ἀποκτεῖναι βούλεται τὸν Σώφρονα ἡ Λαοδίκη, διανεύει τῷ Σώφρονι μηνυούσα τὴν ἐπιβουλήν. ὁ δὲ συλλαβὼν καὶ προσποιηθεὶς συγχωρεῖν περὶ ὧν λέγει δύ' ἡμέρας παρῃτήσατο εἰς σκέψιν· καὶ συγχωρησάσης,

νυκτὸς ἔφυγεν εἰς Ἔφεσον. μαθοῦσα δὲ ἡ Λαοδίκη τὸ ποιηθὲν ὑπὸ τῆς Δανάης κατεκρήμνισε τὴν ἄνθρωπον, οὐδὲν τῶν προγεγενημένων φιλανθρώπων ἔτι συμβαλλομένη. τὴν δὲ Δανάην φασίν, ὡς ᾔσθετο τὸν ἐπηρτημένον αὐτῇ κίνδυνον, ἀνακρινομένην ὑπὸ τῆς Λαοδίκης οὐδ' ἀποκρίσεως αὐτὴν ἀξιῶσαι· ἀπαγομένην τε ἐπὶ τὸν κρημνὸν εἰπεῖν ὡς δικαίως οἱ πολλοὶ καταφρονοῦσι τοῦ θείου, ὅτε ἐγὼ μὲν τὸν γενόμενόν μοι ἄνδρα σώσασα τοιαύτην χάριτα παρὰ τοῦ δαιμονίου λαμβάνω; Λαοδίκη δὲ τὸν ἴδιον ἀποκτείνασα τηλικαύτης τιμῆς ἀξιοῦται.

A' cum Casaub., δυ' ἡμέρα, rell. δι' ἡμ. (ἔτι συμβ. e conjectura Schweigh. valgo ἐπισυμβ.) — A ἀπαγ. τε. — PUL ἀπαγ. δέ. — AD ἐγὼ μὲν τόν. PUL ἐγὼ τόν.

Quae hic refert Phylarchus post Palmerium in Exercitation. p. 525. et ad Appiani Syriaca 65. optime explanavit Schweighaeuserus, collato Hieronymo in Comment. in Daniel. Proph. cap. XI. et Vaillant in Hist. Seleucid. p. 26 seq. Ita fere ille. Laodice Antiochi, Syriae regis, Dei dicti, uxor, post maritum veneno sublatum cum filio Seleuco Callinico adhuc juvene regnabat et cuncta ad libitum moderabatur. Sophron ὁ ἐπὶ τῆς Ἐφέσου est Ephesi praefectus, quae urbs hoc ipso tempore et postea in potestate regum Aegypti Ptolemaeorum Philadelphi et Euergetis erat, Athenaeus p. 593 a., Polybius V, 34. 35.

Qua re ex ipsa hac Phylarchi narratione intelligi par est, Sophronem, priusquam in aula regum Syriae vixisset, Ptolemaei Philadelphi nomine Epheso fuisse praefectum, ibique Danaen, Leontii (de qua vide Brucker. Hist. crit. philos. T. I. p. 843. et 1250) filiam, concubinam et veluti uxoris loco habuisse. Idem dein Sophron fortasse cum Berenice, Philadelphi filia, Antiochiam ad aulam Antiochi Dei missus erat, eumque vel secuta Danae erat vel alia nescio qua occasione Antiochiam et ipsa venerat, ibique Laodicae (prioris uxoris Antiochi, cujus in locum Berenice successit) amicitiam fidemque sibi conciliaverat. Ibi tum post Philadelphi obitum, Antiocho a Laodice veneno sublato Olymp. CXXXIII, 2., gesta sunt quae hic narrantur. Danae, quae forte ob Sophronis amicitiam gratia et auctoritate in aula Antiochi multum pollebat, Laodicae, cum Berenicae posthabita esset, etiam insignia benevolentiae documenta (τὰ φιλάνθρωπα) exhibuisse videtur, quare etiam deinde eadem familiariter usa est Laodice, et multis in rebus in consilium eam adhibuit, unde etiam πάρεδρον τῆς Λαοδίκης Danaem fuisse ait Phylarchus πάρεδρος sigillatim dicitur consiliarius, qui in consilium adhibetur, cujus intima familiaritate utitur is, qui potestatem habet. — Pro παρακολουθοῦσα Valckenarius apud Venemam in Comment. in Daniel. Proph. cap. I. p. 40 seqq. elegantissime conjecerat

